

E. III

GAZZANIGA

ET

BERTIERI

THEOLOGIA DOGMATICA.

THEOLOGIA
DOGMATICA

IN SYSTEMA REDACTA

A FR. PETRO M. GAZZANIGA

ORDINIS PRÆDICATORUM

ET FR. IOSEPHO BERTIERI

ORD. EREM. S. AUGUSTINI

PROFESSORIBUS VINDOBONENSIBUS

IN QUATUOR TOMOS DIVISA

ADDITA IN CALCE

FRANCISCI VERONII

REGULA FIDEI CATHOLICÆ

TOMUS III.

NEAPOLI,

Apud Januarium Mirelli bibliopolam

Via dicta Quercia Num. 17.

MDCCCXXX.



Ex Typographia in Clivulo Divi Marcellini
Num. 3.



THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS SEXTA.

AUCTORE

FR. JOSEPHO BERTIERI.

DE

JUSTIFICATIONE SEU APPLICATIONE SALUTIS PER CHRISTUM NOBIS PARTÆ.

PROOEMIUM.

Quam Christus humano generi universo salutem passione sua, et morte peperit, hanc ut apprehendant homines, ejusdem sibi fructum applicare tenentur; non enim desidibus, ignavis, non credentibus, sed obtemperantibus sibi Christus factus est causa salutis (§. 10. Schol.). Verum tanta est hominis depravatio, et infirmi- Connexio.

tas, adeo ingentibus concupiscentiae fluctibus jactatur, ut nunquam homo acquisitam a Christo salutem applicaret sibi, nisi de opportunis in hunc finem mediis ipse providisset. Haec vero sunt *Gratia Christi medicinalis* et *Sacramenta*, de quibus agere instituti ratio postulat.

SECTIO I.

DE

GRATIA CHRISTI.

CAPUT PRIMUM.

DE GRATIA VOCATIONIS.

§. CL.

Etsi gratiae nomen non uno sensu in libris sacris accipiatur; proprie tamen: *Quod gratis datur*, *gratia vocatur*. Germanam hanc esse hujus vocis notionem, a Paulo discimus ad Romanos (XI. 6.) scribente: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*; cui divino oraculo non uno in loco consonat magnus gratiae doctor, et propugnator Augustinus (*De dono Persev.* cap. 8. n. 16. et enar. in Psalm. XLIII.). **Gratia quid?**

Scholion. Gratia interdum pro venustate accipitur: *Fallax gratia, et vana est pulchritudo. Prov. XXXI.* 30. pro sermonis suavitate, et elegantia: *Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. XLIV.* 3. tum pro rei alicujus opportunitate, sive causa ab Apostolo ad *Titum I.* 4. *Hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt corrigas*. Nonnumquam a voce *gratus* suam sumit denominationem, significatque alteri acceptum esse. *Esther V.* et *Exod. XXXIII.* praeterea pro beneficii accepti agnitione, veluti, quum iis, qui nobis benefecerunt, solemus gratias rependere. Hic harum acceptionum nullus nobis usus erit; quum de sola divina gratia sermo nobis sit instituendus.

§. CLI.

Quomodo in Deo, et hominibus, qui recipiunt, consideranda.

Gratia, si in Deo tamquam ejusdem fonte, et principio consideretur, nil aliud esse videtur, quam ipsamet Dei bonitas, ac amor, quo nos diligit, atque nobis benefacere vult. Eleganter id expressit Paulus, quum ab eo φιλανθρωπία vocatur (ad Titum III. 4.); gratiam hanc vel increatam, vel aeternam nuncupare Theologi solent (*). Verum si hanc in hominibus, qui recipiunt, perpendamus, ejusdem amoris, bonaeque Dei voluntatis, qua creaturis suis benefacere vult, effectus est. Beneficia omnia, quibus humanum genus large, et liberaliter a Deo cumulatum fuit, hujus gratiae nomine comprehenduntur. Dicitur haec gratia usu in scholis recepto, vel creata, vel data in tempore (**).

§. CLII.

Gratia alia naturalis, alia supernaturalis.

Quum gratiae nomen cuncta complectatur Dei beneficia, quibus exornati homines fuerunt (§. praec.), atque dona haec vel ad ordinem naturae spectent, vel illum respiciant, qui est supra naturae vires, fit, ut gratiae quaedam naturales dicantur, aliae supernaturales. Creatio, conservatio, bonum ingenium, constans valetudo, liberum arbitrium, naturalia Dei beneficia nuncupantur: ordinis vero supernaturalis sunt internae gratiae prorsus indebitae, quarum ope vel aliis prosumus, vel justitiam, aeternamque gloriam consequimur (***).

(*) Gratiam, quatenus in Deo est, bonitatis, et amoris divini nomine fuisse insignitam plura suadent Scripturarum oracula. Confer Joan. III. 16. Ad Rom. V. 8. Ad Titum II. 11. Ad Eph. 1.

(**) Vide Bellarminum *de gratia*, *et lib. arb.* Lib. I. c. 2. Berti Lib. XIV. c. 7. Natal. *complexiones Augustinianae* Lib. II. c. 1. S. Thomam 3. p. q. II. art. 10.

(***) Augustinus Epist. 177. n. 7. beneficia naturalia non *improbanda ratione* gratias Dei vocari affirmat; tum in Lib. de Praedest. SS. c. V. n. 10. et serm. XXVI. n. 4. Nihilominus eam, quae supernaturalis est, bonosque discernit a malis, gratiam proprie appellandam esse laudatis in locis S. Doctor contendit.

§. CLIII.

Iis diligenter consideratis, quae in Propheticis, Evangelicis, et Apostolicis litteris occurrunt, mirum est, si creationis dona gratiae nomine fuere condecorata, quemadmodum docet Augustinus (Epist. 77. n. 8.); Patres autem Ecclesiae salutarem Christi doctrinam fidelibus proponentes gratiam a natura distinxerunt, quod accuratius adhuc eo tempore praestiterunt, quo Pelagii haeresis infandum caput erigere coepit. Verumtamen, quum, quidquid gratis datur, gratia non immerito vocetur (§. CL.), atque cuncta naturae dona liberaliter a Deo nobis fuerint elargita (§. praec.), palam fit, quod ampliori saltem significatione gratiae debeant vocari.

Quae naturales dicuntur, ampliori significatione vocantur gratiae.

§. CLIV.

Gratia insuper in externam dividitur, et internam: illa per media externa, quae extra hominem posita sunt, auxilium praestat, uti lex est, praedicatio Evangelii, Christi exemplum, ejusque miracula; altera vero hominem interne afficit movetque, quemadmodum sunt mentis illustrationes, et voluntatis inspirationes.

Gratiae aliae externae, aliae internae.

§. CLV.

Vocatio secundum Scripturae doctrinam duplex est, externa, et interna; prima per Verbi ministerium fit: ista per Verbum, et Sancti Spiritus virtutem et efficaciam, quae in intellectum agit, et hominis voluntatem; nihilominus vocationem hoc loco eam intelligimus, qua Deus facit, ut hominibus satis innotescat, acquisitam nobis esse per Christum salutem. Porro ista vel *immediata* dicitur, vel *mediata*: haec hominum perficitur ministerio, illa ab ipso Deo promanat, quemadmodum Abrahae, et Moysi contigit, et in lege nova Saulo. Vocatio adhuc vel indirecta est, vel directa: priorem eam queas nuncupare, qua nonnullis obicibus remotis homines aptiores propinquique magis ad percipiendam Evangelii praedicationem redduntur. Tunc vero habetur postrema, quum Evangelium clare annuntiatur. Attamen aut alieni homini illud praedicatur, uti Centurioni, et Eunucho Reginae Can-

Vocatio, quot modis accipiatur.

dacis contigit; atque haec privata vocatio dicitur; aut nationibus integris, atque tunc publica nuncupari solet.

Scholion. Eas inter res, quae ad indirectam vocationem pertinent, connumerare licet procurata earum veritatum notitia, quae legem naturalem constituunt; tum immissi tristes casus, et collata insignia beneficia, quorum illi commovent adeo animum nostrum, ut in Deum facilius assurgere queat; alia vero alliciunt. Haec indirecta vocatio neque eadem semper fuit, nec aequalis in omnibus nationibus; aliae enim majorem legis naturalis notitiam habuerunt, aliae magis barbarae fuerunt, in quibus humanitatis quasi sensus exolevit. Nihilominus ejus sum mentis, ut natio nulla, quae caruit divina revelatione, perfectam habuerit legis naturalis cognitionem: qua de re conferas Lelande in sua nova demonstratione Evangelica. Caeterum haec indirecta vocatio haud sufficit, opusque est vocatione directa.

§. CLVI.

Vocatio sive novi foederis publicatio.

Periodos singulas publicae vocationis recensere opus non est; nam de iis, quae ab Adamo ad Christum usque fluxerunt, jam dictum in parte I.: quamobrem ad novi foederis publicationem convertamur, oportet. Mandaverat Christus Dominus Apostolis suis, ut Evangelium gentibus omnibus annuntiarent (§. CXXVIII.), ii induti virtute ex alto, repletique Spiritu Sancto impavidi in ipsa Jerosolyma Jesum Nazarenum a mortuis surrexisse depraedicant, atque ex Judaeis non pauci in ipsum credunt (§. LXIV.). Odio exardet, et ira Synagoga; caeduntur Apostoli, lapidibus conficitur Stephanus, ingens in nascente Ecclesia persecutio excitatur. Christi fideles omnes praeter Apostolos per Judaeam et Samariam disperduntur. At quam diversae sunt viae Dei ab hominum vjis! Unde Judaei Christi Ecclesiam opprimere judicabant, inde ipsa sumsit incrementum. Nam Philippus a Jerosolymis discedens, in Samariam proficiscitur, annuntiatoque Christo in ejus nomen baptizabantur viri, et mulieres, et ipse Simon Magus sacro fonte ablutus Philippo adhaerebat (Act.

VIII.). Discipuli alii in Phoenicem, et Cyprum perveniebant, atque Evangelium cum fructu Judaeis praedicabant, immo Antiochiae ex Gentilibus multi Christo nomen dabant; ibique primum ejus discipuli vocati fuere Christiani (Ibid. XI. 19. seq.). Sed jam Apostoli sibi populos dividunt, quibus Evangelii lucem afferre debebant. S. Petrus (I. Epist. I.) plures Asiae minoris numerat Ecclesias, quibus Christum praedicaverat. Sanctus Paulus (Ad Roman. XV. 19.) a Jerusalem ad Illyricum usque felici cum eventu Jesum annuntiat; gratiasque agit Deo, quod Romanorum fides in universo orbe nota esset (Ad Rom. I. 8. Confer ad Coloss. I. 6.); immo constans traditio nos edocet, S. Thomam Apostolum ad Indos usque praedicasse (Vid. *Origenem tract. XXIX. in Matt.* Nazianzenum *Orat. XXV.*); tum Apostolos reliquos, eorumque discipulos congregasse variis ex partibus novos Christianorum coetus, dubio caret. Qua de causa Paulus scribebat (Ad Roman. X. 18.): jam adimpletum fuisse, quod David praedixerat: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Quae tamen in rigore metaphysico haud sunt accipienda, quasi nullus fuisset populus, cui Evangelii lux Apostolorum aetate non fuisset oborta (§. XV. Schol.), nam res est explorata, semper magis propagatum fuisse Evangelium, atque nostris adhuc temporibus exstare populos, quibus evangelica lux nondum affulsit.

Scholion. Dilatatam semper fuisse post Apostolorum tempora Ecclesiam, nulla est controversia: cum videamus Patres novos semper connumerare Christianorum coetus, de quibus alte silent antiquiores. Confer Houtteville, tom. III. liv. II. ch. XVI. Jo. Albertum Fabricium *in luce Evangelii toti orbi exoriente*. Miraculorum tamen maximum fuit, quod cum fidei mysteriis eminentiores virtutes ubique diffusae fuerunt. Enimvero Christi discipuli Magistrum suum in difficilioribus rebus sequebantur. Pro veritate pati ordinarium fuit eorumdem exercitium, atque ad tormenta libentius, quam alii ad delicias convolabant. Qui vero enumerare queat divites, qui pauperes facti sunt, ut egenis subvenirent? Paupe-

res, qui egestatem divitiis, et honoribus praetulerunt? Virgines, quae in terris Angelicam vitam imitabantur? Pastores, qui omnibus omnia facti vitam ipsam pro grege suo dederunt? Praeteribo vigilias, corporis afflictationes, solitudinem, sui abnegationem, vitae innocentiam, ceterasque virtutes, quae Evangelicae praedicationis, et dexterae Excelsi fructus fuere. Utinam socordiam nostram abjiciamus, atque ad aemulandas eorum virtutes excitemur! Vid. Bossuet *disc. sur l' hist.* 2. p. ch. XX.

CAPUT II.

De Gratia adjutrice interna.

§. CLVII.

Haec dispescitur in gratias gratis datas, et gratum facientem.

Praeter externas gratias divina liberalitate nobis collatas, praecellentior longe est, quae interne nos afficit, adjuvat, movet (§. CLIV.). Haec in gratiam gratis datam, et gratiam hominem Deo gratum facientem dividitur. Illa *donum est indebitum, supernaturale, ad aliorum praesertim salutem ordinatum.* Cave vero, ne credas, solam hanc gratiam sine meritis a Deo elargiri, quaelibet enim gratia nobis conceditur gratis (§. CL.), sed gratia gratis data ideo nuncupatur, quia ad ejus, cui datur, profectum speciatim non ordinatur. Gratia gratum faciens, est *indebitum supernaturale donum internum ad hominis sanctificationem a Deo collatam.*

Scholion. Gratiae gratis datae recensentur novem ab Apostolo Paulo I. ad *Cor.* XII. 8. seq. *Alteri quidem*, inquit, *per spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Has porro gratias ad Ecclesiae utilitatem conferri manifestum est. Ceterum gratiam, quae hominem Deo gratum reddit, cunctaque complectitur beneficia, quibus vel excitamur, et praeparamur, ut Deo accepti simus, vel sancti, justique reapse constitui-

mur, aut ejusdem sanctitatis augmentum, et perfectionem recipimus, gratiis gratis datis praeponendam esse laudato in capite vers. 30. Paulus docet; immo et Christus ipse *Luc.* X. 20.

§. CLVIII.

Gratia gratum faciens, vel habitualis est, vel actualis.

Gratia hominem Deo gratum acceptumque reddens vel habitualis est, quae et sanctificans dici consuevit, vel actualis. Priorem Tridentini Patres (Sess. VI. can. XI. et cap. VII.) eam esse describunt, quae in cordibus hominum per Spiritum Sanctum diffunditur, eisque inhaeret, ex injustis faciens justos, ex inimicis amicos, nec non vitae aeternae secundum spem haeredes. Actualis autem gratiae nomine eam intelligimus, quam ad quoslibet actus, qui naturae vires superant, clargitur Deus.

Scholion. De gratia habituali haec praemonuisse sufficiat; nam plura de ea suo loco dicemus. De actuali autem agere instituti nostri ratio postulat, quae ad omnia opera, sive haec praecedant, vel subsequantur justificationem nostram, prorsus est necessaria. Eleganti comparatione id demonstrat Augustinus *lib. de nat. et grat.* c. XXVI. *Sicut ergo*, inquit, *vulnere, verbi gratia, claudicans, ideo curatur, ut sanato malo praeterito futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint; sed ut de cetero recte ambulare possimus, quod quidem etiam sani nonnisi illo adjuvante poterimus .... Sanat ergo Deus non solum ut deleat, quod peccavimus, sed ut praestet etiam, ne peccemus.*

§. CLIX.

Actualis alia Conditoris, alia Redemtoris.

Creaturas ratione praeditas, quum primum conditae fuerunt, auxilio gratiae suae munivit Deus, ut finem aeternae beatitudinis naturae vires superantem, ad quem ordinatae erant, consequi possent, atque sua mandata servare: gratia haec *Conditoris* dicitur, gratis quidem*, et sine meritis collata, qua tamen decebat Angelos, primumque hominem exornare, ut in bono perseverare pos-

sent (*). At vero, quae *Redemtoris* dicitur, lapsumque hominem respicit, ea Christi Domini innititur meritis, et per eum confertur. Porro, eo quod Christus dixerit (Marc. II. 17.): non opus habere sanos Medico, sed qui male habeant, et se non venisse justos vocare, sed peccatores; tum, quoniam Angelo teste (Matth. I. 21.) Salvator nuncupatus fuerit Jesus, eo quod ipse salvum faciet populum a peccatis suis, gratia haec ab Augustino (Lib. III. Op. imperf. pag. 107. 108.) medicinalis fuit vocata.

§. CLX.

Quae non consistit in libero arbitrio, lege et doctrina.

Non ea profecto esse debet gratiae, quam profiteri debemus, notio, ut haec in libero arbitrio constituatur, quasi bona, quae agimus, attribuenda essent Deo, quia ipse creavit nos, et libertate donavit: nam quae Deus dedit naturae bona ampliori tantum significatione gratiae nomine decorantur (§. CLIII.). Neque reponenda est in lege et doctrina, quandoquidem lex quaelibet, acceptaeque ab aliis instructiones, unde quid faciendum, sperandumve discimus, res mere externae sunt: at vero gratia, quae nos gratos Deo constituit, interna, et supernaturalis esse debet (§. CLVII.). Quid? quod Paulus ait (Ad Gal. II. 21.): Si per legem justitia est, gratis mortuum fuisse Christum; immo eos, qui in lege se justificari arbitrantur, a gratia excidisse (Ibid. V. 4.).

Scholion. Ex his patet plurimum errasse Selmerum, qui in *institutione ad doctrinam christianam*

(*) Augustinus *de corrept. et grat.* c. XI. inquit: *Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, quum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset permanere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent:* hoc non minus intercedit discriminis gratiam inter Creatoris, et Redentoris, quod illa nulli obnoxiis culpae collata fuit, haec indignis, et peccatoribus. Quam ob causam quibus datur, misericorditer datur, ut potuisset illis juste denegari. Vide S. Patrem citato loco cap. X. XI. et XII. Verum de sola Redemtoris gratia disserere nostri est instituti.

liberaliter addiscendam Halae Magdeburgicae 1774. Pelagio in lege et doctrina gratiam constituenti assentitur, ac Augustinum propugnantem gratiae interioris necessitatem vellicat carpitque lib. II. cap. VIII. §. 138. At quam sacris litteris conformius, atque ad fastum humanum deprimendum opportunius scribit S. Doctor *de grat. et lib. arb.* c. XIV. n. 27. *Neque scientia divinae legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quae per Jesum Christum Dominum nostrum datur; sed ipsa facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur.*

§. CLXI.

Sed in mentis illustratione et praesertim motione voluntatis ad bonum.

Maximas inter calamitates, quas originis peccatum induxit, connumerantur merito ignorantia et concupiscentia: illa Apostolo teste (I. ad Corinth. II. 14.) facit, ut homo quae spiritus Dei sunt, non percipiat: simulque malorum plurium est causa, quod postremum magis dixeris de concupiscentia, quam ex Deo ortum non ducere Joannes scribit (Epist. I. c. II. 16.); atque ipsammet esse malam, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat, saepe in suis adversus Julianum libris ostendit Augustinus. Quamobrem quum Christi gratia ad sanandas animi infirmitates sit data (§. CLIX.) ejus muneris esse intelligimus, ut ignorantiae dispellat tenebras, et inspirata superna dulcedine et suavitate concupiscentiae impetus comprimat, atque ad mandata observanda excercitiumque virtutis nos moveat (*). Verum etsi Deo sit attribuendum, si mens quod credere, sperare, agere debet interna illustratione percipiat, nihilominus, quum veram gratiae Christi notionem,

(*) Quam belle Augustinus! *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quod bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates.* Lib. II. de pecc. mor. XVII. n. 26.

quatenus a lege et doctrina penitus sejungitur, inquirimus, in voluntatis ad bonum inclinatione reponendam esse patebit (*).

§. CLXII.

Dividitur in praevenientem et subsequentem.

Praeveniens gratia ea dicitur, quae omnem bonum voluntatis actum praevenit: subsequens vero, quae eundem voluntatis actum a gratia excitatum subsequitur; quo fit, ut prior omnis boni operis initium sit, altera ejusdem incrementum det, et perfectionem. Hujus utriusque gratiae meminit Regius Propheta: *Misericordia ejus*, inquit (Psal. LXVIII. 11.), *praeveniet me*; tum, *Misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitae meae* (XXII. 6.).

Scholion. Utramque gratiam in suis orationibus profitetur Ecclesia: veluti cum ait: *Actiones nostras quaesumus Domine aspirando praeveni, et adjuvando prosequere*. Vide Augustinum *lib. II. contra duas epist. Pelag. c. IX.* Ex his discimus Christi gratiam ad quodcumque opus bonum humanam semper praevenire voluntatem, nec gratiam vocari subsequentem, quasi vel naturae opera, vel nonnullos voluntatis conatus subsequeretur.

§. CLXIII.

Operantem, et cooperantem.

Gratia operans primum bonae voluntatis affectum in nobis producit: cooperans vero illa est, qua voluntas jam bene affecta ipsum bonum opus exequitur. Audiamus Augustinum (*de grat. et lib. arbit.* c. XVII.): *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: certus sum, quoniam qui operatur in*

(*) Quamlibet singularem etiam mentis illustrationem in munere saltem a lege et doctrina non differre docet Augustinus *de gratia Christi VII. Dei adjutorium* (de Pelagio loquitur) *multipliciter insinuandum putavit commemorando doctrinam et revelationem, et oculorum cordis adaperitionem, et demonstrationem futurorum, et apertionem diabolicarum insidiarum, et multiformi, atque ineffabili dono gratiae coelestis illuminationem, ad hoc utique, ut divina praecepta et promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.*

vobis, opus bonum perficiet usque in diem Christi Jesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo operante ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.

SCHOLION. Perperam nonnulli inde concludunt sub operante et praeveniente gratia voluntatem nostram veluti inanime quoddam esse considerandam. Enimvero quamvis primus hujus gratiae motus indeliberatus sit, et Deus dicatur in nobis sine nobis operari, tamen haec ita sunt intelligenda, non quasi voluntas a Deo mota nihil agat, sed quod voluntas praecesserit nulla, qua bonum vellet petendo, desiderando, aut praeviam aliquam ponendo dispositionem.

§. CLXIV.

Excitantem, et adjuvantem.

Excitans gratia ea est, qua nos veluti somno profundo pressi, et de bono opere nihil cogitantes ita excitamur, ut sanctae cogitationes, et pia desideria nobis inspirentur: atque huc referri debent Apostoli verba (Ad Ephes. V. 14.): *Surge qui dormis ... et illuminabit te Christus.* Adjuvante ergo gratia, quod homo incepit bonum, etiam perficit; hunc in sensum gentium Doctor ad Romanos (Ad Roman. VIII. 26.) scribebat: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Quibus edoctus oraculis Augustinus ajebat (Lib. II. *de pec. mor.* c. XVIII.): *Quod vero ad Deum nos convertimus nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus.*

SCHOLION. Postremae duae gratiae divisiones nomine potius quam re a praecedente differunt. Nam operans et excitans gratia, praeveniens etiam est; et cooperans et adjuvans non minus est subsequens.

§. CLXV.

Gratiae definitio.

Christi gratia, qua nostra sanatur natura, in libero arbitrio lege et doctrina non est reponenda (§. CLV.). Nec sola est interna mentis illustratio, quae in munere a lege et doctrina non distat; sed inspirat supernam dulcedinem et sua-

vitatem (§. CLXI.); unde proprie est, ut Augustinus tradit (Cont. duas Ep. Pelag. lib. IV. n. 11.) *inspiratio sanctae dilectionis ut cognita sancto amore faciamus.*

Scholion. Quam dedimus ex Augustino definitionem, pluribus in locis S. Doctor confirmat. Confer de *gratia Christi* n. 38. *de spiritu et littera* c. 28. de *cor. et grat.* c. 2. n. 3. 4. Ex quibus apparet hallucinatum fuisse Joannem Clericum *art. crit. p. II. sect. I. cap.* 8. scribentem: *Nulla definitio vocis* gratia, *quae quadret in notionem Augustini, dari potest praeter* hanc: *Est nescio quid, quo Deus ex Augustini sententia animos nostros ad pietatem ineluctabiliter flectit.* Quid? Ignoratne Aristarchus iste nos id communiter agere quod bonum esse novimus et amamus? Non est itaque incompertum quidpiam gratiae definitio, quam in superna mentis illustratione, et in caritatis inspiratione, ut quod bonum est, homines ament, et libere operentur, Augustinus constituit.

§. CLXVI.

Quo sensu dilectionis et caritatis nomen accipiendum.

Dilectio et caritas modis pluribus accipi potest; diversas hujus vocis notiones demus oportet, ne imperitis errandi occasio tribuatur. Caritas pro ipsa nonnunquam accipitur gratia sanctificante, qua nos justos reddit, et regni coelestis haeredes. Hoc sensu Apostolus ajebat (ad Rom. V. 5. Vide et I. epist. Jo. c. III. 1.): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Tum pro amore benevolo, quo Deus per se diligitur, quique illam constituit virtutem, quae peculiari modo caritas nuncupatur. Tandem pro voluntate bona, pia animi affectione, et pro amore boni accipitur. Postremo tantum hoc modo dilectionis et caritatis nomen in gratiae definitione sumsit Augustinus (*); compertum enim est, fidem, spem,

(*) S. Doctor lib. II. *contra duas epist. Pelag.* n. 21. ait: *Quid est boni cupiditas nisi caritas?* De grat. et lib. arb. c. 17. n. 33. gratiam vocat *voluntatem bonam*: et de grat. Chr. c. 31. n. 22. *Quasi vero aliud sit bona volun-*

timorem ceterasque virtutes absque sanctificante gratia et benevolo Dei amore elicitas dona Dei esse.

§. CLXVII.

Gratia habet suos gradus.

Spiritus bona bonis corporis, res incommutabiles mutabilibus esse praeponendas, ut illibatam quis ducat vitam, aeternamque consequatur, Christianorum ambigit nemo. Porro nec iisdem semper viribus caro concupiscit adversus spiritum, nec iisdem semper tentationibus urgemur, nec eadem semper sunt incommoda nobis sive pro Dei sive pro amore proximi subeunda; sed alia levia, quaedam gravia, nonnulla gravissima sunt et diuturna. Quis porro dicat, eodem plane suffultum esse Dei adjutorio, cui leves tentationes, parva incommoda vincenda sunt, ac alterum, qui gravissimis diuturnisque agitatur? An non major fuit gratia in Martyribus, qui squallidos carceres, intensos dolores, mortem ipsam toleraverunt, ac in iis, qui pro Christi nomine nonnullos tantum honores spreverunt? An eadem divini auxilii vis in Paulo, qui ex hoste christiani nominis infensissimo in vas electionis fuit repente mutatus, ac in Augustino, cujus pravam consuetudinem sensim tardiusque sanavit? Elegantem suae conversionis per varios gratiae, cui resistebat, gradus descriptionem nobis reliquit in confessionibus suis S. Doctor (Lib. VIII. c. 5. seq.); unde etiam pespicere facile est, liberum arbitrium divinae gratiae non raro resistere. Et revera non raro fit, quod homo voluntatem bonam habeat, adeoque Christi gratiam (§. praec.), sed adhuc parvam, quae licet det posse bonum agere, nisi robustior accedat, nunquam ipsum bonum opus perficiet (*).

---

tas quam caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo. Sub hac autem caritatis et dilectionis explanatione virtutes ceteras includi apertum est. Nam quum voluntatis objectum sit vel appetere aliquid, aut ab aliquo refugere, nec id amplecti soleat, nisi quod sub alicujus boni ratione ei proponitur, manifestum est absque pia animi affectione et boni amore nos nec credere, nec sperare, nec timere. Confer Berti *opusculum de gratia sufficienti.*

(*) Praeclara etiam in rem nostram sunt Augustini verba de *pecc. mor.* Lib. II. n. 6. *Cur autem illum adjuvet,*

§. CLXVIII.

Est ita gratuita, ut nec de condigno nec de congruo mereri queat.

Quod praedicabat Coelestius gratiam secundum merita nostra dari, ad evitandam PP. Diospolitanorum censuram, Pelagius, subdole licet fecerit, revocare coactus fuit; adeo semper Catholicorum inhaesit mentibus, gratiam esse prorsus gratuitam. At vero, si naturalibus operibus solis, quis *de condigno*, ut ajunt, sive ex justitia gratiam promereri posset, dubium non est, quin gratia secundum merita, quae solis arbitrii viribus comparavimus, a Deo concederetur. Quod directa fronte pugnat cum Paulo asserente, tum ex operibus gratiam acquiri non posse (§. CL.): tum etiam neminem prius aliquid dedisse Deo, ut inde ad retribuendum ipse moveatur. *Quis*, inquit, *prior dedit illi, et retribuetur ei* (ad Rom. XI. 35.)? Haec eadem argumenta ostendunt, opera solis naturae viribus elicita nec *de congruo* sive ex decentia quadam permovere Deum, ut gratiam suam elargiatur; nam gratia donum est omnino gratuitum, quod nulla habita operum nostrorum ratione confertur. Accedit his, quod si opera naturalia ad gratiam actualem nos disponerent, ad initium etiam salutis et justificationis nostrae praepararent; id autem PP. Tridentinis repugnat, qui ajunt: *Declarat praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur: ut qui per peccata erant a Deo aversi* (Sess. 6. c. 5. Confer Concilium Araus. II. can. 3. 5. 6.).

Scholion. Quamvis apud Theologos scholasticos recepta sit communiter sententia, naturae viribus solis neminem *de condigno* gratiam posse promereri; nihilominus doctissimo Estio teste in II. distin-

---

illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est aequitatis tam secretae ratio, et excellentia potestatis. Vid. *de grat. et lib. arb.* c. 15. n. 31. *serm.* 159. n. 2. *epist.* 95. ad *Paulinum* et *Therasiam* n. 6.

et. XXVI. §. 34. non paucos reperire est, qui naturalia opera *de congruo*, sive per modum dispositionis mereri gratiam judicarunt. Ludovicus Molina autem arbitratus est, Deum facientibus, quod in se est per vires naturae, suam gratiam tribuere vi pacti Christum inter, et ipsum Deum initi, ut, qui bene lumine naturali utantur, Deus iis suam gratiam non deneget. At graviores quique Theologi merito semper refragati sunt.

§. CLXIX.

Ad praevenientem gratiam nemo potest se positive disponere.

Et vero quisquis ipsam naturam gratiae sedulo perpendat, ad hanc suis viribus solis se positive disponere posse, affirmabit, ut puto, nemo unus. Quandoquidem gratia inde nomen sortitur suum, quod gratis datur, nec eam praecedentibus operibus rependit Deus, secus gratia non esset (§. praec.); Immo gratia ideo praeveniens dicitur, quod quemcumque bonum voluntatis actum ex divina tantum misericordia praevenit (§. CLXII.); nec ab excitante gratia differt, qua nos veluti profundo somno pressi, nihilque de bono agendo cogitantes excitamur, ut inde pia nobis desideria instillentur (§. CLXIV.); unde fit manifestum, operum naturalium in auxilii sui distributione Deum non habere rationem (*).

§. CLXX.

Nec dispositionis negativae rationem habet Deus.

Deum quoque in partiendis gratiis suis nec ad majus ingenium, nec ad minorem obdurationem respicere, sive ad dispositionem, quam nuncupare solent *negativam*, haud attendere, exploratum cuique erit, qui perpendat, Saulum Christi et discipulorum ejus osorem acerrimum in vas electionis repente fuisse mutatum: tum mulierem peccatricem, latronem, pluresque alios magnis inquinatos sceleribus ad Evangelicum lumen vocatos credidisse, et perseverantia fuisse donatos: dum alii, qui secundum naturalem honestatem laudabiliter vixerunt, in

(*) Sapienter S. Prosper adversus Collatorem cap. XXXIX scribit: *Aufertur gratia, cum a libero praevenitur arbitrio.*

Polytheismi tenebris relicti fuere. Et quid aliud innuunt comparationes illae, quibus homo sine gratia assimilatur mortuo (ad Coloss. II. 13.), nec non luto in manu figuli, ex cujus pendet arbitrio, num vas in honorem efformare velit (ad Rom. IX. 21.)? nisi, gratiam ita a Deo distribui, ut nullius prorsus dispositionis rationem habeat (*)?

§. CLXXI.

Quare Molinianum pactum est commentitium.

Quum auxilio gratiae suae quempiam Deus praevenit, ad opera viribus naturae elicita minime attendit (§. CLXVIII.); quippe qui impudicos scelestosque ad fidem non raro justitiamque vocat, relictis iis, qui secundum naturalem aequitatem bene vixerunt (§. praec.). At, si Deus facienti quod in se naturae viribus ex pacto inito cum Christó Domino auxilium gratiae suae impertiri deberet, homines secundum naturalem justitiam aliis meliores ad fidem vocare procul dubio teneretur. Quid? quod pactum istud dicendum est *commentum temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura, et SS. Patrum traditione prolatum*; quemadmodum in generalibus comitiis (An. 1700.) declaravit Clerus Gallicanus? Et revera admisso semel pacto Moliniano, qui solo naturae lumine bene usus fuisset, atque hanc ob causam ad fidem vocatus, se ab altero discrevisset, qui ob neglectas sui arbitrii vires in tenebris infidelitatis esset relictus: quae doctrina Doctori gentium Paulo expresse repugnat (1. ad Corint. IV. 7.).

(*) Rem egregie explanat Augustinus lib. I. *de pecc. mor.* c. XXII. n. 1. *Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestatur; atque ad virtutes ceteras provectior altiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia christiana non possit? Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt? . . . alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, et facinoribus coopertus ita gubernetur, ut audiat, ut credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat.* Ad inscrutabilia autem Dei judicia cum Paulo recurrendum esse contendit.

Scholion. Quamobrem axioma illud a scholasticis adoptatum: *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam,* de illis intelligas, qui ex praevenientis gratiae auxilio, quod in se est, agunt, quibusque Deus uberiores solet gratias elargiri. Perperam adversarii putant se invenisse praesidium in Augustino lib. XIX. *de civ. Dei* c. XII. asserente, Deum hominibus dedisse *quaedam bona huic vitae congrua . . . . eo pacto aequissimo, ut qui mortalibus talibus bonis paci mortalium accommodatis recte usus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora.* Nam S. Doctor ibi subdit, ut quis temporalibus hisce bonis recte uti queat, *egere magisterio divino, cui certus obtemperet, et adjutorio, ut libere obtemperet.* Nec non ei, qui gratiae divinae auxilio bene operatur, ex pacto aequissimo *ampliora* Deum, *atque meliora* rependere; *ipsam scilicet immortalitatis pacem.* Confer Serry lib. III. *hist.* de *auxiliis* c. 5. et lib. V. sect. 6. c. 3.

CAPUT III.

De Gratiae necessitate.

§. CLXXII.

Homo in beato innocentiae statu constitutus, ut bene operari posset, divino suffulciri indigebat adjutorio (§. CLIX. sch.); quanto magis autem in hoc, quo vivimus naturae corruptae statu, ubi ob Adae peccatum vitiata est, et sauciata natura, ignorantia adest, et difficultas ad bonum noscendum, et concupiscentia, et pronitas ad patrandum malum (§. LI. CLXI. et per demonstrata lib. IV. part. I.)? His adde, quod si homo ad implendam legem consequendamque justitiam sufficeret sibi, aeternam etiam solis arbitrii viribus felicitatem adipisceretur. At quis non videt, Redemptionis tunc nostrae oeconomiam everti omnem? Cur enim in mundum venisset Christus, cur tormenta tam acerba, sanguinemque fudisset suum, si absque ejus gratia perpetua gloria frui datum nobis esset? Verum alia longe est sacrorum Librorum doctrina. *Omnes enim*, ait Paulus, *peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati*

Gratia cur necessaria.

gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quae est in Christo Jesu (ad Rom. III. 23. 24.).

Scholion. Ex gentilibus plures gratiae necessitatem agnoverunt nullam. Notum est, quod Cotta apud Ciceronem lib. III. de nat. Deor. inquiebat: *Virtutem nemo unquam acceptam Deo retulit ... Num quis, quod bonus vir esset, gratias Diis egit unquam?* Id etiam sentiebant Stoici: quamquam in assertionibus suis non semper constantes fuerunt. Ejusdem mentis debuerunt esse, tum ii, qui deputabant fortunae cuncta, quae in mundo eveniunt; tum ii, qui divinam providentiam ibant inficias, aut saltem ad res sublunares non extendebant, uti Aristoteles fecit, quemadmodum testes sunt disertissimi Chalcidius in Timaeum Platonis, Plutarchus de opinionibus Philosophorum, Stobaeus Eclog. phys. cap. 13. Tanta autem erat quorumdam Philosophorum intoleranda jactantia, ut pares se Diis praedicarent; immo cum Amelius Plotinum Philosophum Platonicum rogaret, ut sibi sacrificium offerenti adsisteret, respondit: *Non ego is sum, qui Deos quaerere debeam: sed Dii meipsum quaerere debent.* Confer Porphyrium in vita Plotini, et Lelande p. II. c. 9.

§. CLXXIII.

Quam inficias iverunt Pelagiani.

Pelagius natione Britannus, professione Monachus, Stoicorum secutus opinionem circa annum 405. quemlibet solo libero arbitrio ad virtutem consectandam, et declinanda cuncta peccata sufficere judicabat; unde sedulo haec distinguenda volebat: *posse, velle*, et *esse*. Primum a Deo naturae inditum asfirmabat, alia duo Dei eliminato adjutorio in nostra constituebat potestate. Coelestius celeber ejusdem discipulus ad Magistri propagandos errores plurimum adlaboravit; quo contigit, ut gratiae divinae hostes Coelestiani interdum fuerint nuncupati. Acerrimus alter sectae ejusdem Coriphaeus Julianus fuit Episcopus Eclanensis, adversus quem pugnavit, triumphavitque magnus Augustinus. Accesserunt iis Anianus Diaconus Celedensis (Confer Norisium hist. Pelag. lib. I. cap. 19.), et delirus quidam senex nomine Seneca, qui vergente ad finem seculo quinto

prostratam jam Pelagianam haeresim ab orco revocare satagebat.

Scholion. Origenem Adamantium, insignis licet nominis virum, dum nimium ingenio indulsit suo, in graves errores incidisse, et Pelagianae haereseos fuisse architectum Hieronymus tradit, qui lib. III. Dial. eum Pelagianorum *Amasium* vocat, et in Epist. ad *Ctesiphontem*, *erroris Pelagiani participem*. Equidem compertum habeo; Patronos strenuos Origenem nactum fuisse, quorum omnium instar commemorasse sufficiat Bossuetum *Defense de la tradition des SS. Peres* lib. VIII. c. 28. Verum Origenem lapsum fuisse ostendit Norisius *hist. Pelag.* cap. I. et *in dissert.* de Synodo V. Nonnemo etiam fuit, qui contenderet, Origenem cum Pelagianis non omnino sensisse, eam tantum praeformasse doctrinam, quam postea Semipelagiani propugnarunt. Vid. Garnerinm dissert. VII. *in Marium Mercatorem*, Ceillier *des aut. Eccl.* tom. II. cap. 38. Pelagianis insuper praelusisse judicamus Theodorum Mopsuestenum, et Ruffinum; hunc Syrum fuisse affirmarunt Marius Mercator, in *commonitorio*, et Fleury *hist. Eccl.* lib. XXIII. n. 1. at Aquilejensem fuisse ostendit Cl. Berti de *Theol. discip.* lib. XIV. cap. I. prop. II.

§. CLXXIV.

Devicti jam erant, prostratique Pelagiani, quum circa annum 427. nonnulli Massilienses Presbyteri perperam judicantes ex asserta ab Augustino praedestinatione ad gratiam, et gloriam gratuita fatalem induci necessitatem, virtutisque studium amoveri, boni operis principium aliquod a nostris viribus repetendum esse affirmarunt. Quamquam nec ipsimet penitus inter se conveniebant. Eorum enim nonnemo Prospero teste (in Epist. n. 4.) orationem in nostra prorsus esse potestate arbitrabatur, cujus virtute gratiam nos promereri asserebat. Alii vero, quemadmodum S. Hilarius fidem facit (in Epist.), pios tantum credendi affectus, Dei gratiam praevenire autumabant, perseverantiam autem finalem singulare Dei donum esse ibant inficias; quumque ii in nonnullis tantum Pelagio adhaererent, Semipe-

Et ex parte Semipelagiani.

lagiani nuncupati fuere. Horum in Galliis Dux non immerito habetur Jo. Cassianus, qui errorem hunc in suis Patrum Collationibus, et praesertim in tertia decima promulgavit. Hunc secuti fuerunt Faustus Rejensis Episcopus, Gennadius Presbyter Massiliensis, Vincentius, ut multi verisimilius judicant, Lyrinensis, atque Hilarius Arelatensis: obscurioris nominis reliquos silentio praetereo. Virus istud tam facile in hominum serpit cordibus, ut Augustinus ipse ante Episcopatum suum eo infectus fuerit.

Scholion. Semipelagiani a Pelagii sectatoribus ideo secernebantur, quod originale peccatum admittebant, et gratiam Dei ad opera salutis perficienda necessariam esse praedicabant. Cassianum Semipelagianum fuisse prae ceteris ostendunt Vossius lib. I. hist. Pel. cap. 7. Norisius lib. I. hist. Pel. cap. 1. Ceillier *liv.* 13. *des auteurs Eccl.* Berti lib. XV. c. 3. prop. 1. Faustum vindicandum susceperunt Driedo Ruardus Tapperus, et Cl. Sirmondus in *Historia praedestinat.* Verum gravissimi Theologi, et magni nominis historici horum conatus frustraneos esse pluribus ostenderunt. Vid. Norisium lib. II. cap. 12. Nat. Alexandrum saec. V. cap. 3. et 7. Bossuet *mem. sur la bibliot. Eccl. de Dupin.* Nonnullos etiam patronos habuit Gennadius Massiliensis, quorum celebrior fuit Suarez *prol.* V. *de gratia* cap. 5. attamen eos hallucinatos fuisse demonstrant Bellarminus *de script. Eccl.* Norisius, Dupinus, Berti. Vincentium Lyrinensem Semipelagianis adhaesisse judicant Vossius, Norisius, et Berti, repugnantibus tamen Baronio ad an. 434. Francisco Macedo, et Brunone Neusser apud *Bollandistas ad diem V. Maii.* Quantum ad Hilarium attinet Episcopum Pictaviensem, secernendum ab Hilario altero Laico, et Augustinianae doctrinae studiosissimo, eum ab errore resipuisse contendunt Pagius ad an. 445. Tillemontius, Ballerinii Presbyteri; id tamen incertum esse tenent Norisius, et Berti laudatis in locis. Semipelagianos confutarunt Augustinus de *praedest. SS. et dono persev.* Prosper, Hilarius, Fulgentius, Jo. Maxentius, Caesarius Arelatensis, qui postremus in Aransicano II. Concilio ab Ecclesia universa postea recepto, et appro-

bato, ex Augustini verbis efformavit Canones, unde semipelagiana haeresis penitus confixa fuit.

§. CLXXV.

Quorum errores denuo fuere suscitati.

Etsi Semipelagianorum error universae Ecclesiae consensione proscriptus, et anathemate confossus fuit, nihilo tamen minus quosdam interdum conatos fuisse eundem restaurare, ex celebribus Patribus, et Doctoribus Ecclesiae, qui in eo debellando insignem navarunt operam, satis elucescit (*). Sed mentem nostram figit magis funestum illud tempus, quo Lutherus infesta signa adversum Ecclesiam Romanam erexit. Ille primitus tantum tribuebat gratiae, ut liberum arbitrium penitus amoveret ab homine, at ipsius asseclae quum primo in Magistri sui descendissent sententiam, ea contemta ad Semipelagianorum castra declinarunt, fidei nostrae initium naturae viribus attribuentes. Quam insignem ex errore in errorem immutationem saepe Lutheranis opposuere Catholici, firmatque ex Calvinistis Jurius, qui ex Sculteti, et Callixti verbis Lutheri asseclas Semipelagianorum fermento infectos esse ostendit (**). Quod si de Calvinistis sermonem instituamus, ii, qui Arminium ducem secuti sunt, quamvis in celebribus quinque articulis necessitatem gratiae ad initium, progressum, et consummationem omnis operis boni agnoscere videbantur; requisiti tamen, ut mentem suam explicarent clarius, hominibus singulis gratiam inesse in lumine naturae donisque post hominis peccatum relictis, quibus semetipsos possent ad majorem gratiam disponere, asserebant; quam sententiam prae ceteris absque verborum fuco exposuit Episcopius (Vide Spanhemium *in Elencho Controversiarum* pag. 298.); Sociniani autem, aut Pelagiani sunt, aut Semipelagianorum scita indubie

---

(*) Qui gliscenti Semipelagianorum errori se feliciter pro temporis opportunitate opposuere, sunt venerab. Beda *praef. in Cantica*, Prudentius Trecensis, et Florus, S. Anselmus Cantuariensis, et S. Bernardus *de grat.* et *lib. arb.* tum sententiarum Magister, et Angelicus Doctor.

(**) Vid. Bossuet *hist. des variat.* Lib. VIII. n. 48. XIV. n. 116. *Addition.* n. 4. VI. *avert.* n. 36.

retinent. At vero, quod magis dolendum, Catholicorum nonnemo, quos inter Richardnm Simonium recenseas merito, studio impugnandi fatalem Calvini, et Lutheri necessitatem, ab hoc eodem errore non satis sibi caverunt.

Scholion. Arminiani propter libellum supplicem an. 1610. Hollandiae et Westfrisiae Ordinibus porrectum, quem *Remonstrantium* vocaverunt, *Remonstrantes* nuncupati, a Synodo Calvinianorum Dordracena damnati fuere. Hac de re fusissime scripsit Gerh. Brandtius *in historia reformationis Belgicae*; Arminianus tamen ipse fuit. Arminianorum grex non magnus est, sed eorumdem de gratia et praedestinatione sententiam Angli jam pridem adoptarunt; immo iu multis Principum Protestantium aulis haec Arminianorum principia: *perpauca esse creditu ad salutem necessaria, et unicuique, dummodo honeste vivat, quemadmodum de Deo, et Religione sentire velit, permittendum*, vigere tradit Mosheim in *instit. hist. eccl. sec.* 17. *sect. II. p.* 2. *c.* 3. §. 13. Quantum ad Socinianos attinet, Spiritus Sancti interiori dono, ut quis Evangelio credat opus non esse praescribit catechesis Racoviensis sect. 6. de *Prophet. Christi Officio*; at praeter exterius admittunt ii etiam auxilium aliquod interius, quemadmodum evincitur ea cadem Cath. Racov. *sect.* 6. *de lib. arb.* Verumtamen, tum externum tum internum auxilium, quod homnis conversionem praecedit, sola Evangelii revelatio est, ut inquit Socinus *in resp. ad objectiones Cuteni.* Nihilominus ipse agnoscit, Deum etiam extra ordinem modo efficaci et singulari hominum animos convertere.

§. CLXXVI.

I. Adinitium, progressum, et consummationem operum salutarium gratia est necessaria.

Gratiam Christi ita nobis esse necessariam, ut nullum plane sine ipsa salutare opus vel incipere, vel prosequi, vel perficere queamus, apertissima est SS. Librorum doctrina. Praeclarius nihil in dogmatis catholici stabilitatem produci potest, quam haec Pauli ad Corinthios verba (I. epist. IV. v. 7.): *Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris; quasi non acceperis?* Quamobrem si a Dei libera-

litate, quidquid ad nostram salutem vel disponit, vel perducit, recipimus; si in re nulla quasi e solis arbitrii nostri viribus exorta gloriari possumus, initium omne, progressum, finemque cujuslibet operis a Christi gratia repetamus, oportet. Veritatem hanc in fidelium cordibus cupiens Apostolus impressam saepe repetiit. Unde *ad Philippenses* scribebat (II. 13.), Deum esse, qui operatur in nobis *Velle et perficere pro bona voluntate*: atque ad Romanos (IX. 16.) Salutis nostrae opus non esse *volentis neque currentis, sed miserentis Dei.*

Scholion. Catholicum hoc dogma adversus Pelagianos strenue defendit pluribus in locis Magnus Augustinus. Vid. de *praed.* SS. c. IV. et *epist.* 217. ad *Vitalem*, confirmaruntque Synodi plures in Africa habitae, atque posterioribus temporibus Patres Tridentini *Sess.* VI. c. II. Nec moveat, quod ajunt Pelagiani, sacras litteras refertas esse praeceptis, quibus ad fugienda vitia; consectandamque virtutem incitamur, quaeque essent frustranea, si in potestate nostra non esset eorundem observantia. Enimvero cuilibet persuasum esse debet, Deum deserere neminem, nisi prius deseratur, eumque humiliter petentibus uberrima gratiae suae dona conferre, quibus inoffenso pede ejus mandata servare valeamus. Unde praecepta omnia adimplere possumus cum Dei gratia, quae, si aliquando non datur, in poenam est praecedentium delictorum, aut saltem originalis peccati.

§. CLXXVII.

II. Ad fidei initium priosque piae credulitatis affectus.

Initium omne salutaris fidei, et quemlibet pium credendi affectum a Deo repetendum esse, inde apparet luculentissime, quod ipsius gratia omne pium voluntatis nostrae motum praeveuit, in nobis efficit, atque mentem nostram quasi somno sopitam excitat, cunctaque nobis pia desideria inspirat (§. CLXII. seq.). Nemo quoque prius aliquid Deo dedit, ut inde moveatur ille ad retribuendum (§. CLXVIII.). Nemo potest arbitrii sui viribus se ab altero discernere, quidquid enim boni habemus, ex sola Dei beneficentia descendit (§. praec.); dubium

itaque est nullum, fidei initium, atque pios ipsos credulitatis affectus, quum boni sint, Dei esse liberalissimum donum. Audiant Semipelagiani Apostolum Paulum (II. ad Corinth. III. 5.), sileantque: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra a Deo est.* Itaque si desiderium quodlibet, cogitatio quaelibet pia a Deo est, evidenter patet, pios quoque credulitatis affectus divinae bonitati et largitati esse tribuendos.

Scholion. Egregie Semipelagianos exagitavit, oppugnavit, vicit Augustinus de *praedest.* SS. n. 4. 5. 7. 39. et seq. quem legas. Unde PP. Concilii Arausicani can. VII. definiverunt merito: *Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti. . . . . haeretico fallitur spiritu.* Conf. PP. Tridentinos *Sess.* VI. *Can.* III.

§. CLXXVII.

Semipelagianorum ex S. litteris argumenta.

Qui Semipelagiani erroris fuligine tincti sunt, non pauca congerunt SS. Librorum testimonia, in quibus praesidium se invenisse perperam gloriantur. Ajunt, apud Isaiam legi (XXX. 18.): *Expectat Dominus, ut misereatur*: tum, quod Deus ipse Zachariae (I. 3.) ore loquens inquit: *Convertimini ad me et ego convertar ad vos.* In *Proverbiis* autem haec occurrunt (XVI. 1.): *Hominis est praeparare animam.* Paulus etiam asserit (Ad Rom. VII. 18.): *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Jacobus (IV. 8.): *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Christus ipse (Matth. X. 11.): *In quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, et ibi manete.* Quamobrem fidei et sanctificationis nostrae initium voluntati nostrae ad bonum se praeparanti adscribendum est.

Scholion. Nec desunt, addunt adversarii, exempla ex iisdem sacris litteris petita, quibus ostendi-

tur per opera moraliter bona solis arbitrii viribus patrata fidem non paucos obtinuisse. Cornelius Centurio *Act.* X. per orationes et eleemosynas, ut a Petro fidei rudimentis imbueretur, promeritus est. Zachaeus desiderio animatus Christum videndi arborem Sycomorum (Syriaca ficum sylvestrem) conscendens obtinuit, ut ab eo audiret *Lucae* XIX. *Hodie in domo tua oportet me manere.* Nathanael non minus, quoniam in eo dolus non erat, a Jesu ad fidem vocatus fuit *Joan.* I. 47. seq. Compertum insuper nobis est, Davidem habuisse bonam templi aedificandi voluntatem, quae tamen a Deo ortum non duxerat, eo quod a Salomone opus hoc bonum praestari Deus jubebat.

§. CLXXIX.

Enodatur.

Quum initium fidei, pia omnis cogitatio, omne bonum desiderium a Deo ortum ducat (§. CLXXVII.), atque ad omnium operum salutarium initium gratia sit prorsus necessaria (§. CLXXVI.), ac sacri libri a Deo inspirati sibi contradicere turpiter nequeant, ea, quae prima fronte opposita videntur testimonia, conciliemus, oportet. Modus facilis est, si dicamus nos conari, velle, quod bonum est, nostramque praeparare voluntatem gratiae praevenientis adjutorio, cuius merito fit, ut uberiores a Deo obtineamus gratias, quibus bonum ipsum opus perficere valeamus. Neque id absque solido fundamento dictum arbitreris. Nam quemadmodum asseritur: *Convertimini ad me*, sic legimus: *Deus converte nos* (Ps. LXXIX 4.): *Converte nos Domine ad te, et convertemur* (Thr. V. 21.). Apostolus, qui scripserat, *velle adjacet mihi*, ad Philippenses (II. 13.) ait, quod Deus *operatur in nobis velle.* Christi autem Domini verba de famae externae dignitate sunt exponenda, ne scilicet apud perditos homines commorando, bonum nomen apud populum Apostoli amitterent; aut saltem cum de Judaeis Salvator loquatur, de merito intelligendus est, quod divina gratia illi, apud quos divertere debebant, sibi comparassent.

Scholion. Nec majus praesidium in adductis exemplis invenire possunt Semipelagiani. Cornelius in-

ter Judaeos commorans, unius Dei habebat notitiam, *et non sine aliqua fide donabat et orabat*, inquit Augustinus de *praedest. SS.* C. VII. Zachaeus quoque bonum videndi Christum desiderium ex gratia obtinuit: nam subditur: *Hodie huic domui salus facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahae*, per fidem nempe in venturum Reparatorem, quam Abrahae exemplo ex gratia habebat. Nathanaelem divina gratia fuisse praeventum ostendit S. Bernardus serm. LXXVIII. *in cantica*: *Invenit*, inquit, *quoque Philippus Nathanaelem, sed prius Dominus illum cum esset sub ficu viderat; quae Domini visio numquid non praeparatio fuit?* David bonam aedificandi templum voluntatem a Deo obtinuit; Salomon autem etiam perficiendi; ita Ecclesia orans ut infideles Evangelii recipiant lucem, bonam habet et a Deo inspiratam voluntatem: quamvis efficacem fidei gratiam plerisque non elargiatur.

§. CLXXX.

Iis non favet S. Jo Chrysostomus. Perperam Semipelagiani affirmant, Doctorem eloquentissimum S. Jo. Chrysostomum eorum doctrinae praelusisse. Enimvero omnium bonorum operum initium, ipsam bonam voluntatem a Deo esse, suaque semper nos gratia praevenire docet. Quandoquidem exponens ipse verba haec Christi Domini: *Sicuti dilexi vos*, ita Salvatorem loquentem inducit (Hom. LXXI. in Joan.): *Non enim vestris praecedentibus meritis persolvi, sed ego incaepi*: jam alibi scripserat (Hom. XIII. in Joan.): *Gratia Dei semper in beneficiis priores sibi partes vindicat.* Immo expendens Pauli verba ad Philip. II. *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere*, subdit: *Propensionem voluntatis ipse nobis praebet, et operationem.* Praeclara non minus sunt, quae habet in hanc Doctoris gentium sententiam: *Vide Dei bonitatem.* Non dicit: *Vide igitur virtutem tuam, sed Dei bonitatem, ostendens, quod universum ex superna gratia sit factum, instituensque credentem, ut tremat* (Hom. XIX. *in Epist. ad Rom.*). Quid plura? Omnia plane ex Dei gratia nos benigne obtinere contendit in ea verba: *Quid habes quod non accepisti?* (Hom. XII. in *Epist. I. ad Corinth.*)

Scholion. Ea itaque S. Doctoris testimonia, ubi asserit, Deum expectare conatus nostros, nostra desideria, neque nos praevenire, ut sibi constet S. Doctor, haud excludere queunt praevenientis gratiae adjutorium. Nam Chrysostomus non raro gratiam haud eam intellexit, quae tenue tantum boni desiderium inspirat, sed illam potius, quae ipsam tribuit operationem. Gratiam insuper praevenientem ad Manichaeorum sensum libero penitus arbitrio sublato denegat; minime vero in sensu Catholico. Praeterea in sermonibus ad populum habitis, et nonnunquam pronuntiatis ex tempore, frustra quis accuratum prorsus dicendi modum requiret: tandem exorta nondum haeresi Pelagiana Patres securius loquebantur, inquit Augustinus *lib. I. contra Jul. C. VI.*

§. CLXXXI.

Salvatoris nostri gratia ad ipsos primos piae credulitatis affectus, ad initium, progressum, et perfectionem cujuslibet salutaris operis necessaria est (§. CLXXVII. CLXXVI.); ea itaque ad singulos salutares actus eliciendos nos indigere compertum est. Unde Augustinus ad *Vitalem* scribens (Epist. 217. Cap. 5.) inter catholicae fidei recenset dogmata, Gratiam Dei, *majoribus ad singulos actus dari*, atque Pelagius a Patribus Diospolitanis absolutionem suffuratus non fuisset, nisi hoc damnasset Caelestii effatum: *gratiam Dei et adjutorium non ad singulos actus dari* (*). Quae generatim de omnibus pronuntiata ipsos etiam complecti justos, per se patet. Sed clariora adhuc proponamus. Christus Dominus justos petere jubet: *Et ne nos inducas in tentationem*: quibus innuere voluit, sanctos etiam in mortali corpore degentes indigere divina gratia, ut sollicitationes ad peccata vincere queant. Justus insuper erat Regius Psaltes Dominum alloquens exoransque: *Adjutor meus esto,*

III. Ad singulos actus salutares, etiam justis.

(*) Augustinus *de gestis Pelagii* n. 3. Confer *Epistolam synodicam PP. Africanorum de grat. et lib. arb.* cap. 12. et PP. Tridentinos *sess.* VI. *Can.* II.

ne derelinquas me (*)! Ex quibus conficitur, justos etiam indigere ad actus salutares singulos gratia divina, cujus tanta virtus est, ut non tantum deleat, quod peccavimus, sed etiam post adeptam justitiam nos muniat, suffulciat, praestetque, ne peccemus (§. CLVIII. Schol.).

Scholion. Gratiae ad actus singulos necessitas ulterius declaratur, eo quod nec semper, ad id, quod bonum est agendum, serio attendimus, aut si etiam compertum nobis sit, aliquando tamen ita nos non delectat, ut facere velimus. Porro gratiae divinae omnino tribuendum est, ut innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat (§. CLXI. Schol.). Equidem haud ignoro Patres Milevitanos damnasse Pelagium asserentem: gratiam, *qua justificamur valere ad remissionem peccatorum, quae commissa sunt*, non vero adjutorium, *quo non committantur*. Attamen nihil aliud contendunt Africani Patres, quam gratiam, qua justificamur, praestare virtutem aliquam, ac elevare naturam nostram, ut facilius operari possit, quamvis ut reapse agat, auxilio gratiae actualis indigeat. Vel dicendum, nomine gratiae, qua justificamur, intellexisse Patres gratiam actualem, qua ad justificationem ipsam perducimur, non ipsam sanctificantem gratiam.

§. CLXXXII.

IV. Ad perseverandum usque in finem. Perennis et non interrupta in bonis operibus ad finem usque vitae continuatio, perseverantiae nomine insignitur. Haec porro in parvulis, nec non adultis repentina morte decedentibus peculiarem secum fert Dei providentiam, qua rerum causas ita disponit, ut in gratiae statu eos vitae finis inveniat; reliquos vero sanctae dilectionis inspiratione tanta praemunit, quanta necessaria est, ut concupiscentiae impetus frangant, mandata Divina custodiant, in jam adepta sanctitate et justitia decedant, vi-

(*) *Psal.* XXVI. 9. in quem locum vide egregie disserentem Augustinum *de grat. et lib. arb.* n. 13. et *enar.* II. in ps. XXVI. n. 17.

tamque aeternam obtineant. Quamobrem perseverantiam hanc magnum Dei donum esse, auxilium prorsus singulare cum Patribus Tridentinis (Sess. 6. Can. XVI. et XXII.) profiteri quisque debet. Haec ipsamet est sanctorum librorum doctrina. Nam Deus Jeremiae ore loquens ait (XXXII. 40.) : *Timorem Domini dabo in cor eorum, ut non recedant a me* : et Paulus *ad Philippenses* (I. 6.) scribit : *Confidens hoc ipsum, quia qui caepit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Jesu Christi.* Augustinus autem gratiam prorsus ad perseverandum usque in finem necessariam solido ex precibus Ecclesiae argumento demonstrat (*De dono perseverantiae* n. 3. legas totum hunc librum, et de corrept. et grat. C. XII.) : *Cur autem*, inquit, *perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An et illa irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate?*

Scholion. Ex his confutati sunt tum Pelagiani, qui hominem quemlibet solis arbitrii viribus usque in finem perseverare posse blaterabant, tum Semipelagiani, quorum opinio erat, Deum auxilium elargiri, quo homines perseverare possent, si velint; repudiato prorsus peculiari Dei adjutorio, quo perseverantia ipsa daretur. Contendit Catholicorum nonnemo, parvulos ante rationis usum decedentes, et adultos, qui post adeptam justitiam diu non vivunt, haud obtinere singulare auxilium a gratia sanctificante, qua exornantur, distinctum; at ii hallucinantur : nam ex peculiari supremi Numinis providentia contingit, ut ii dum justi sunt, e vita decedant : hinc Sap. IV. 11. habetur : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, et V. 14. *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Vid. Augustinum *de praedest. SS.* c. 14. *et de dono persev.* C. I. et II. Patet non minus haud convenire cum propugnata ab Augustino doctrina Molinae asseclas contendentes ex praeviso libero arbitrii consensu statuisse Deum gratiae auxilium conferre, quo perseverare possint. Nam si res ita se haberet, non recte fecisset Augustinus ad inscrutabilia con-

fugiens judicia Dei, cur uni detur perseverantia, alteri denegetur. Vid. Cens. Academiarum Lovaniensis et Duacenae adversus Lessium et Hamelium.

CAPUT IV.

De Gratiae efficacia.

§. CLXXXIII.

Praedestinatiani.

Contingit saepe, ut, qui luxurianti ingenio suo liberum dant aditum, vel certum respuunt Ecclesiae magisterium, veritatis viam raro assequantur, sed in gravissimos et omnino pugnantes errores incidant. Ipsamet, in qua versamur, gratiae oeconomia insigne nobis praebet exemplum. Pelagiani errarunt liberi arbitrii viribus tribuentes nimium, ac gratiae eliminantes necessitatem (§. CLXXIII.). Peccarunt ab opposito, qui Praedestinatiani nuncupantur, gratiae energiam adeo extollentes, ut liberum homini arbitrium eriperent.

Scholion. *Praedestinatiani* dicti sunt qui ad salutem aeternam et ad sempiternum interitum Deum aequa ratione homines praedestinare, atque Divinam praescientiam eos compellere affirmabant; unde inferebant ex sola Dei voluntate descendere, si reprobi in aeternum pereant; e contra electos invitos etiam ad salutem duci; Christum non pro omnibus, sed pro solis praedestinatis mortuum fuisse: conclamatum autem penitus esse sub gratia efficaci de libero arbitrio.

§. CLXXXIV.

Haeresis praedestinatianae Epocha.

In figenda haeresis praedestinatianae epocha permultum dissentiunt Eruditi. Placuit Sirmondo (*Hist. haer. Praedest.* cap. 1.) nonnullisque aliis jam *Augustini* aetate errorem hunc nefarium in Monasterio Adrumetino, atque postremis S. Doctoris annis, nec non sub Caelestino I. in Galliis viguisse. Perperam: Nam, qui hac lue infectus Adrumeti dicebatur, *Florus* erat, quem tamen veram Apostolicamque doctrinam tradidisse testis disertissimus est Augustinus (*de corrept. et grat.* n. 1.). Immo re peni-

tius inspecta Semipelagianorum error laudato in Monasterio serpebat, cujus propugnatores Augustinianae doctrinae defensoribus, liberum arbitrium e medio tollere, imperite opponebant (Augustinus II. *retract*. c. LXVI.). In Galliis vero nec Augustini, nec Caelestini tempore haeresim hanc erupisse inde conficitur, quod tum ex Prosperi et Hilarii epistolis, tum ex libris ab Augustino jam sene conscriptis *de Praedestinatione SS. et Dono perseverantiae* evincitur, Semipelagianos solos viguisse in Galliis; quod etiam Caelestini declarat epistola, ubi Augustini commendatur doctrina, ejusdem detractores compescuntur, atque Pelagiana, et Semipelagiana haeresis confoditur (*). At major est de Lucido Presbytero difficultas, quem ut Praedestinatiani erroris propugnatorem in synodis Arelatensi, et Lugdunensi damnatum novimus, atque ad palinodiam canendam coactum; unde doctissimi viri non pauci ad an. 474. hujus haeresis initium referunt (Duchesne *in hist. Praedest*. Nat. Alexander *dissert. V. saec. V. prop. IV.* Norisius lib. II. *hist. Pelag.* cap. 15.). Alii praestantes viri de rei addubitant veritate, eo quod Faustus, qui haec narrat, versipellis homo erat, et subdolus, ac Semipelagianismi pice inquinatus; proindeque hac in parte ejusdem vacillare fidem (*Vid. Tillemontium tom. XVI. in Fausto*, Berti de *Theol. disc.* lib. VI. c. 14.) putant. Sed neque alii desunt arbitrati, totam hanc historiam, sicut et Arelatensem, et Lugdunensem Synodum a Fausto omnino fuisse confictam (Gilbertus Mauguinus *in praedest. fab. confut.* Usserius *in antiquit. Britan.* Thomassinus *dissert. XIII. in Concil. Arelat. et Lugd.*, et post Cabàssutium *in not. Concil.* Juenin *Institut. Theolog. tom. II. pag.* 419.). Verumtamen concesso etiam Lucidum Praedestinatianum fuisse, non tamen in sectam tum tem-

---

(*) Vetus scriptor libri *Praedestinati*, quem publici juris Sirmondus fecit, haeresim hanc in Galliis sub Coelestino I. erupisse scribit; at scriptorem hunc nullius auctoritatis esse, et Pelagiana haeresi infectum, pluribus ostendunt Gilbertus Mauguinus, Norisius, Berti, Nat. Alex. dissert. V. sec. V. prop. 2.

poris erupisset, sed tantum, ut ait Norisius, a quibusdam obscurioris nominis tradita fuisset (Norisius et Berti laudatis in locis). Quid vero de Gotescalcho affirmandum? Hunc ob Notingi accusationem, ob auctoritatem Rhabani, Hincmari, Amolonis, ob damnationem ejusdem factam in Moguntina, duabusque Carisiacis synodis pravi hujus dogmatis assertorem judicant non pauci (Baronius ad an. 848. Nat. Alexander saec. IX. dissert. V. Ludovicus Cellotius *in hist. praedest.* Sirmondus, aliique). Verum habet et is strenuos patronos (*), et merito. Quandoquidem ipse, ut ex professionibus fidei ab ipso editis innotescit, haud agnovit praedestinationem ad culpam, sed ad poenam tantum praevisis jam reorum hominum demeritis (Vid. *confessionem II.*). Accedit his, Ratramnum Corbejensem, Lupum Ferrariensem, S. Prudentium Trecensem Episcopum, S. Rhemigium Lugdunensem (Uterque *adversus Erigenam*) ejus suscepisse defensionem, atque Synodum Valentinam ex Episcopis trium Provinciarum collectam capitula quatuor ab Hincmaro proposita in Carisiaca Synodo adversus Gotescalchum (si tamen certum est hunc ut haereticum fuisse damnatum) (Vid. Norisium *hist. Gotes.* cap. 1.) reprobasse. Porro Valentinae synodi canones probarunt PP. Lingonenses, et Tulleuses XII. provinciarum Episcopi, pacis tamen gratia sublata fuit censura adversus capitula Carisiaca. Quamobrem veram Haeresis praedestinatianae epocham figendam dicimus saec. XI. et XII. in Catharis et Waldensibus, qui nefandis Praedestinatianis dogmatibus firmiter inhaeserunt (Conf. *libros V. Ven. Monetae adversus Catharos, et Waldenses editos a P. Th. Aug. Richinio cum ejusdem dissert. et notis*).

(*) Conf. Gilbertum Mauguinum, Christianum Lupum *in notis ad I. Concilium Rom.* Norisium in hist. Gotescalchi; quique historiam hanc penitius scire cupit, consulat Mabillonium praef. ad saec. IV. Bened. p. II. Caesarem de Boulay *hist. acad. Paris.* tom. I. Vossium *hist. Pelag.* lib. VII. c.4. Jo. Albertum Fabricium *Bibliot. Lat. medii aevi* tom. III.

§. CLXXXV.

De recentioribus Praedestinatianis Wicleffo, Hus, Luthero, Calvino.

Verumtamen detestandam haeresim Praedestinatianam saeculo XV. ab orco revocavit, et pervicaciter propugnavit Jo. Wicleffus Anglus; nam inter ipsius articulos a Synodo Constantiensi damnatos, hi recensentur: quod oratio praesciri non valeat; omniaque de absoluta necessitate eveniant. Hujus pressere vestigia Jo. Huss, et Hieronymus de Praga, qui Wicleffi doctrinam ad mortem usque acerrime defenderunt. Quam ob causam damnati fuere in eodem Concilio Constantiensi, ultimoque postea supplicio affecti (*). At saeculo XVI. Martinus Lutherus fervido, et impudenti ingenio praeditus, praetenso Religionis reformandae specioso titulo eamdem deturpavit, disciditque, ac inter cetera errorum portenta, liberum arbitrium titulum esse sine re blateravit: quamvis in assertis suis haud constans sententiam immutaverit, atque ut observat Bossuetus (Hist. des Var. Liv. III. §. XIX.) ad Semipelagianorum errorem, quem sectatorum suorum pars jam maxima defendit (§. CLXXV.) declinaverit. Ad malorum cumulum iis temporibus accessit Jo. Calvinus, qui Deum sive ad bonum, sive ad malum necessitate ineluctabili praedestinare affirmabat.

§. CLXXXVI.

De Michaele Bajo.

Michael Bajus sec. XVI. natus sacrarum litterarum Lovanii Professor multa proponebat, quae non pauci reprehensione digna judicabant; atque delatis universitati Parisensi ejusdem octodecim propositionibus, easdem variis censuris confixit. At Bajo suarum assertionum vindicias agente turbae enascebantur, quas Pius IV. compescere cupiens, utrique

---

(*) De Wicleffo agunt Nat. Alexander saec. XIII. et XIV. c. 3. art. 22. Boulay hist. acad. Paris. tom. IV. De Hussio Æneas Sylvius in historia Boemica, Cochlaeus in hist. Huss. Nat. Alexander saec. XV. et XVI. cap. 2. art. 1. Adversus eumdem etiam scripsere Stephanus Paletz, Stanislaus de Znoyma, Mauritius de Praga, Jo. Hoffmanus, alii. Quantum ad Lutherum, et Calvinum attinet, videri possunt omnis generis, et ordinis Scriptores Ecclesiastici.

parti silentium indixit. Adfuit in Concilio Tridentino delegatus cum Hesselio Theologus, unde redux varia edidit opera, ex quibus propositiones 76. excerpta fuerunt, quas Pius V. ut *respective* haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, piarum aurium offensivas an. 1571. damnavit. Verum non nemine affirmante Pii Bullam suppositítiam esse, Gregorius XIII. misso Francisco Toleto in Belgium de ejusdem authentia testimonium dedit. Bajus autem suae erga Romanam sedem obedientiae, et venerationis insigne dedit exemplum revocatis omnibusque publico scripto damnatis assertionibus suis, quamquam aliquas suas esse negavit. Alios inter errores in ea Bulla damnatos erat et iste: sub divina gratia liberum hominis arbitrium haud persistere, hominemque etiam peccare in eo quod facit necessario; id vero praedestinatianum esse nemo ibit inficias (*).

§. CLXXXVII.

Jansenio. At majores, diuturnioresque excitavit in Ecclesia turbas Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Opus, cui titulum fecit *Augustinus*. Morte praeventus publici juris illud facere non potuit, demandavit tamen ejus imprimendi curam Reginaldo Lamaeo, Henrico Caleno, ac Liberto Fromondo; nihilominus se, scriptaque sua, ut obediens filius, Romanae sedis judicio subjecit. Vix lucem aspexit Opus, discordiarum semina dedit, aliis summe collaudantibus, aliis vero ut praedestinatiana lue infectum reprobantibus. Urbanus VIII. R. P. (Constitutione *In Eminenti*) Opus uti Bajanis erroribus consonum proscripsit. In Galliis vero Jansenii censores ejus propositiones septem primo, indeque quinque nomine 85. Episcoporum Galliae Innocentio X. proscribendas offerebant, missis etiam nonnullis Romam, ut damnationem urgerent; sed nec defuerunt Episcopi undecim, qui Jansenium defendendum susceperant, quique et non-

(*) Vid. Nat. Alexandrum saec. XV. et XVI. cap. II. art. 14. Henricum a S. Ignatio ethic. amoris proleg. VI. tom. I. Michaelis Baji opera edidit Gabriel Gerberonius an. 1696.

nullos Doctores Sorbonicos cum P. Desmaret Romam misere: post diuturnum examen quinque illae propositiones ab Innocentio anathemate confixae sunt. Nemo, quod sciam, post damnatas propositiones aperte earum sumpsit patrocinium, eas tantum Jansenii fautores in ejus libro haud contineri affirmabant. Qua de causa Alexander XII. assertiones illas ex Jansenii libris excerptas, ac in sensu auctoris damnatas esse declaravit. Immo cum multi huic definitioni subscribere reniterentur, idem Pontifex anno 1665. Constitutionem edidit, in qua praescripsit formularium, secundum quod jurare mandatum erat, propositiones eas in Jansenio esse, atque in sensu auctoris fuisse proscriptas.

Scholion. Proscriptae Jansenii propositiones hae sunt. I. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*: haec ut temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, ut haeretica proscripta fuit. II. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.* III. *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Binas has assertiones damnatas novimus, ut haereticas. IV. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Haec proscripta fuit, ut falsa, et erronea. V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Quae ut falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica declaratur. Quamvis in causa Jansenii scripta prodierint multa, tamen in pluribus partium studium videre est; multi Jansenium defendunt, atque eorum opera a sede Romana sunt proscripta: plures merito damnant. Non pauci etiam suas opiniones cum dogmatibus fidei confundunt, inter ceteros caute legendus est Tournellius, qui ut scribit

Franciscus a Puteo Congr. Orat. Romani in opere de studiis Ecclesiasticis Clementi XIII. dicato *Molinismo nimium addictus quasdam vetustissimas, tutissimas, catholicasque doctrinas audacter, ut haereticas sugillat.*

§. CLXXXVIII.

De Quesnello. Sed jam veniamus ad Paschasium Quesnellum: hic praeter alia multa *reflexiones morales in novum testamentum* edidit, dissidiorum quae vexarunt Ecclesiam, fontem uberrimum. Opus istud, quum lucem aspexit, multorum etiam celebrium virorum elogiis cumulatum fuit. Re ad Clementem XI. delata celebrem ipse edidit constitutionem, quae a primo verbo *Unigenitus* nuncupatur, in qua centum, et una Quesnelli propositiones damnantur. Plurimi omnium ordinum viri eam receperunt; sed non paucos etiam reperire est, qui eam repudiarunt, atque quum ad futurum generale concilium appellaverint, ideo *appellantes* etiam nunc dici solent. Suae inobedientiae hanc praetexunt causam, Augustini, et Thomae sanam de Praedestinatione, et gratia doctrinam fuisse proscriptam: verum dum Romani Pontifices Quesnellum damnarunt, et Augustini, et Thomae doctrinam meritis elogiis decorarunt, instauratos tantum praedestinatianos errores eos damnare voluisse affirmandum est.

Scholion. Ipse Clemens XI. in bulla *Pastoralis officii* perperam errores damnatos confundi cum sententiis iis, quae libere, et palam etiam Romae docentur, affirmat. Benedictus XIII. in constitutione edita 1727. sententiam de gratia per se efficaci, et praedestinatione gratuita summis Pontificibus, conciliorum decretis, et Patrum dictis consonam asseruit. Vid. etiam Clementis XII. Breve *Apostolicae providentiae officio.* Nihilominus ii, qui constitutioni *Unigenitus* refragantur, inobedientem quidem in re gravi animum erga Sedem Romanam declarant, haereticos tamen haud esse existimo. Nam laudatam constitutionem fidei regulam non esse, neque sub Benedicto XIII. in concilio Romano talem agnitam fuisse ostendunt Berti *dissert. in Encyclica Benedicti* XIV. Eusebius Eranistes sive Vincentius Patuz-

zi in *Eluc.* encyc. ep. 4. aliique. Qnae pro constitutione, vel contra eam prodiere scripta, recensere nimis longnm esset. Multa adduxit Walchius *bibl. Theol.* tom. 2. c. 5. Sect. XVIII. ac de his plura in hist. Eccl.

§. CLXXXIX.

Gratia efficaciam suam a consensu voluntatis non repetit.

Existimant Moliniani, gratiam a liberi arbitrii nutu adeo pendulam esse, ut si ex duobns pari gratia a Deo exornatis unus bonum peragat opus, abstineat alter, laus omnis libero arbitrio sit adscribenda. Attamen multa sunt, quae hanc sententiam convellunt. Enim vero quis non videt, eum, qui iisdem instructus gratiae viribus bonum ageret, ab altero, qui in vitiorum coeno manet, se discernere, atque adversus eundem gloriari posse? Quod tamen ivit inficias Apostolus (§. CLXXVI.), qui adhuc Ephesios edocens (*ad Ephes.* II. 8. 9.) inqnit: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, ut ne quis glorietur: ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Inutiles etiam in hoc systemate essent Ecclesiae preces; quandoquidem arbitrantibus ipsis gratiam semper praesto esse, et flexibilem, pendulamque prorsus a libero arbitrio, eam a Deo petere frustraneum esset. *Quid stultius,* ajebat Augustinus (*De nat. et grat.* c. 18.), *quam orare, ut facias, quod in potestate habeas?* Pugnant itaque cum Ecclesiae consuetudine, quae nil satius habet, quam Dei gratiam pro fidelibus exposcere, qui ab humanae voluntatis consensu gratiae efficaciam repetunt. Quid mnlta? Sententia haec novitate (Molina in *Conc. quaest.* 23. *art.* 4. et 5. Fonseca Metaphys. *tom.* 3. c. 2. q. 4. sect. 8. Vasqnez in I. p. S. Thomae *disp.* 67. *art.* 4. id diserte fatetur), quae in rebns ad religionem pertinentibus periculi plena est, refellitur: tum quod Molina placita sua ab Augustini doctrina, quam Ecclesiae Patres, Romani Pontifices, concilia, veluti certam regulam, quum de Christi gratia agitur, agnoverunt, aliena esse, ipse fateatur (Molina ib. *Disp. I. memb.*).

Scholion. Hieronymus *epist.* 95. ad Augustinum, *Catholici*, ait, *Te conditorem antiquae rursus fidei venerantur*: cui addas Prosperum lib. *contra collat. et in carmine de ingr.*, Possidium ad *Macedonium*, Fulgentium lib. II. *de verit. praed. et grat.*, Cassiodorum, Prudentium Tricasinum, aliosque plures. Quantum ad concilia, quae in Africa habita sunt, ore et scriptis Augustini Pelagianam haeresim profligarunt. Synodus Bizacaena ex Episcopis ab exilio reducibus celebrata in rebus de gratia proponit legendos Augustini libros ad Prosperum et Hilarium, addas Arausicanam II. Quintum generale concilium Coll. I. in nova collect. Conc. Jo. Dom. Mansi tom. 9. synodum Lateranensem sub Martino I. Coll. V., Florentinam Sess. VII. Tridentinam, quae in efformandis decretis Sess. V. et VI. ipsa Augustini verba in usum sumpsit. Quod si de Rom. Pontificibus sit sermo, habemus Innocentium I. Zosimum, Bonifacium, Coelestinum, Leonem magnum, Gelasium, Hormisdam, qui epist. ad Possessorem scribit: *De arbitrio tamen libero, et gratia Dei, quid Romana hoc est Catholica sequatur, et asseveret ecclesia, licet in variis libris B. Augustini et maxime ad Hilarium et Prosperum possit agnosci, tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Et ne longiorem texam catalogum, Clemens VIII. exortas de gratia controversias ad Augustini mentem dirimendas mandavit. Confer Norisium *in vindiciis Augustinianis*, Natali *complex. Aug.* lib. I. Bossuet *defense de la Tradition, et de Saints Peres.*

§. CXC.

Nec ex attemperatione auxiliorum cum voluntate humana.

Male audiebat in catholicis plerisque provinciis exposita (§. praec.) Molinae doctrina, cujus, ut ejusdem propugnatores invidiam declinarent, docere coeperunt, Deum gratiam suam loco, tempori, genio, indolique hominis ita attemperare, ut ei, quem convertere placet, gratiam iis in circumstantiis tribuat, quibus ope scientiae mediae eum obtemperaturum praevidit. Gratiam hanc *congruam* solent nuncupare. At si res ita se haberet, lapsus nunquam fuisset primus homo; conditus enim a Deo rectus justusque, et actuali exornatus gratia, pugnaci,

quam nos incitantem ad malum experimur, concupiscentia carebat: quibus circumstantiis nulla magis conveniens esse poterat. Quid? quod nonnulli in optimis constituti circumstantiis cadunt, ut Judae contigit; alii vero animo averso penitus a Deo, ut Paulus, repente convertuntur? Praeterea non ab extrinsecis circumstantiis (*) gratiae collatae vis et certitudo est repetenda, sed ab ipsa gratia, quae in nobis, quod Deo beneplacitum est, operatur. *Aptet*, ajebat Apostolus (*Ad Hebr.* XIII. 21.) *vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum.* Equidem non ignoro, Augustinum asserere, quod Deus, *cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congrue, ut vocantem non respuat:* nihilominus ipse subdit: *Ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritatis ferventia, ille tribuit, ille largitur* (*Lib. I. ad Simplic. quaest.* II.). Quamobrem in Augustini principiis gratia tunc congrua est nuncupanda, cum Deus in hominibus operatur, ut velint (*De Corr. et grat.* cap. XII.).

§. CXCI.

Sed eam in se habet, sive ab intrinseco est efficax.

Nisi cuncta me fallant, omnis huc vergit controversia: sit ne Deus, qui gratia sua hominis voluntatem ad bonum agendum moveat determinetque; an liberum arbitrium receptam determinet gratiam. Istud adversarii, illud Augustini et Thomae discipuli. At enim gratia a consensu voluntatis suam virtutem haud sortiri (§. CLXXXIX. et praec.) evicimus; manet itaque demonstratum, gratiam *in se* habere efficaciam suam. Verum nostram assertionem sacrorum librorum auctoritate adhuc muniamus. Nil

(*) Suaresius II. p. de gratia lib. V. c. 52. 53. congruitatem, quam habet gratia, extrinsecam esse affirmat, nec habere vult intrinsece ac determinate actualem efficaciam; sed potius de se esse indifferentem, ut congrua sit, vel incongrua: in praescientia autem esse congruam et efficacem, quia cooperatio liberi arbitrii illi jungenda supponitur. Unde apparet in hac etiam sententia efficaciam gratiae a consensu voluntatis humanae repetendam esse; quod §. praec. revicimus.

in istis frequentius occurrit, quam Deum, quocunque voluerit, cor inclinare (*Prov.* XXI. 1.), immutare (I. *Reg.* X. 9.), eum operari in nobis *velle, et perficere pro bona voluntate* (*Ad Philip.* II. 13.), nos trahere, ut ad eum veniamus (*Joan.* 6. 44.). Insigne autem est Dei Ezechielis ore loquentis in rem nostram testimonium (XXXVI. 26.): *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.* Praeclarius nihil ad ostendendum gratiam in se efficaciam habere, afferri potest?

§. CXCII.

Id etiam ostendit Augustinus.

Si vero ad Augustini doctrinam quam Ecclesia suam fecit (§. CLXXXIX. Sch.) animum convertamus, gratiam intrinseca vi sua efficacem esse, quilibet opinione haud ductus praejudicata fateri debet. Quandoquidem S. Doctor illam describit vim gratiae, quae tantam inspirat dulcedinem et suavitatem, ut cognita sancto amore faciamus (§. CLXV.). Haec cum volumus et operamur, ipsa facit, ut velimus et operemur, *ut sit humilis et submissa confessio et totum detur Deo* (*De dono pers.* c. 13. n. 33.). Haec longe validior illa, quae primo homini collata fuit: nam prima est, *qua fit, ut homo habeat justitiam si vellet*, *secunda plus potest, qua etiam fit, ut velit et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat* (*De corrept. et grat.* n. 31.). Quapropter *subventum est infirmitati voluntatis humanae ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, bonumque invictissime vellet* (Ib. n. 38.). Etenim Deus per gratiam suam habet humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem: ipse intus agit, corda tenet movetque; quum magis habeat *in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas* (Ib. n. 45.). Aufert cor lapideum et dat cor carneum (*De grat. et lib. arb.* c. XVI.); a nullo duro corde respuitur (*De praed. SS.* n. 13.). Dies, tempusque deficeret, si cuncta, quae pro intrinseca vi gratiae Augustinus protulit, in medium afferre vellem.

Scholion. Semipelagiani, ut ex Prosperi ad Augustinum epistola evincitur, asserebant perperam, Augustinum adversus antiquitatem ecclesiasticam innovasse; quam putidam calumniam renovarunt e Remonstrantium secta Arminius, Episcopius, Grotius, et nostro tempore Jo. Salomon Semlerus *hist. eccl. selecta capita* saec. 5. c. 4.; ac quod magis dolendum, accesserunt iis nonnulli scriptores Catholici, uti Simonius *in hist. critica eorum, qui commentarios ediderunt in novi testamenti libros*, et scriptor *de grat. et praedest.* sub Launoii nomine, quosque recenset refellitque Norisius *in vind. Aug.* Cap. X. §. 6. Grotium autem et Simonium jam confutavit Bossuet *Dissert. in Grotium*, et *defense de la Tradition et des saints Peres*. At Augustinum eam tradidisse doctrinam, quae semper in Ecclesia viguit, ipsemet ex ejusdem orationibus ostendit de *dono pers.* n. 63. inquiens: *Sicut ergo in his orationibus, ita et in hac fide nata est, et crevit Ecclesia.*

§. CXCIII.

Et Ecclesiae orationes.

Sapienter Caelestinus R. Pontifex monebat, constantem fuisse Patrum doctrinam, *ut legem credendi lex statuat supplicandi* (*Epist. ad Galliae Episcopos*). Jam vero Ecclesia postulat, ut omnem voluntatem bonam, consensum ipsum Deus in nobis efficiat. Nam Dominica IV. post Pascha his verbis orat: *Da populis tuis id amare quod praecipis, id desiderare quod promittis*. Dom. II. Quadragesimae: *Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces*. Sabbato post Dom. IV. *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. Dom. XIX. post Pentecosten: *Tua medicinalis operatio tuis semper faciat inhaerere mandatis*. Profecto haec abunde declarant, Ecclesiam ejus mentis esse, ut gratia Dei intrinsecam habeat efficaciam, atque ad bonum agendum sua virtute nos moveat.

Scholion. Consonat latinae Ecclesiae graeca. Enimvero Petrus Diaconus una cum iis, qui fidei causa ex oriente Romam missi fuerant, jam a duodecim

et amplius saeculis hanc Basilianae Liturgiae orationem commemorabant: *Dona Domine virtutem ac tutamentum, malos quaesumus bonos facito, bonos in bonitate conserva: omnia enim potes, et non est, qui contradicat tibi: cum enim volueris, salvas, et nullus resistit voluntati tuae.* Confer instructionem Pastoralem Cardinalis Noailles Archiepiscopi Parisiensis adversus libellum *Exposition de la foi touchant la grace et la predestination* anno 1696. apud Natal. Alexand. Theol. dogm. et Mor.

§. CXCIV.

Unde electorum praedestinatio.

Praedestinationis nomine hoc loco intelligimus: *aliquid ad certum finem ordinare*: definitur autem ab Augustino (*De dono persever.* n. 35.) *Praescentia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Quae S. Doctoris verba praesentem, in quo sumus, corruptionis statum respiciunt: nam liberatio sine illius qui liberatur, miseria esse nequit: sub Deo autem justo miseria non est absque culpa. Jam vero lapsi hominis praedestinatio considerari potest, ut loquuntur Theologi, vel in ordine *intentivo*, vel *exequutivo*: illa absolutum est Dei decretum quosdam prae aliis e perditionis massa eripiendi, conferendique iis gloriam: altera est ipsa gloriae retributio, quae ob merita efficacis gratiae auxilio comparata a Deo conceditur. Unde praedestinatio, si eam in tota sua amplitudine consideres, gratiam omnem, quae electis datur, simulque gloriam complectitur. Praedestinationis finalis causa est gloria Dei: nam ut inquit Apostolus *Deus ideo nos praedestinavit secundum propositum, ... ut simus in laudem gloriae ejus* (Ad *Eph.* I. 11. 12.): moralis autem et meritoria repetenda est ex meritis Christi: quandoquidem *praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum* (Ib. v. 5.).

Scholion. Qui praedestinati sunt, vocari etiam solent *Electi II. ad Timoth. II.* 10. *Praecogniti ante mundi constitutionem I. Petri I.* 20. *Praeordinati in vitam aeternam Act. XIII.* 48. *Vocati secundum propositum ad Rom. VIII.* 28. *Vasa misericordiae ad Rom. IX.* 23. *Benedicti a Patre*

Matth. XXV. 34. Praedestinationis nomen apud veteres tam ad bonum, quam ad malum poenae ob culpam praevisam interdum accipitur; ita Augustinus Ench. ad *Laur.* cap. C. Synodus Valentina *Can.* 3. Fulgentius ad *Monimum*, Prosper, Isidorus, Ecclesia Lugdunensis. At usus invaluit, cum de praedestinatione agitur, in bonam semper partem accipere. Praedestinationis existentiam inficias iverunt Basilides, Valentinus, Manichaei effutientes, homines natura sua bonos esse vel malos.

§. CXCV.

Ad gloriam est gratuita.

Gratia Dei gratuita prorsus est, adeo, ut nemo nec de *condigno* vel de *congruo* eam promereri queat, vel quis ad eam se positive disponere possit, nec dispositionis negativae rationem ullam habet Deus (§. CLXVIII. seq.); est autem necessaria ad initium, progressum, consummationem operum salutarium, ad ipsos quoque pios credulitatis affectus (§. CLXXVI.); ipsa in se habet efficaciam, cujus virtute bonum volumus, perficimus, et Dei praecepta custodimus (§. CXCI.); ipsa finalem praebet in bono perseverantiam, unde aeternam gloriam consequimur (§. CLXXXII.): haec itaque dona praescivit paravitque Deus, proindeque praedestinavit eos omnes, quibus haec, ac praesertim perseverantiam contulit. Quandoquidem voluntas media elargiendi, quae sua efficacia perducunt indubie ad finem, descendere debet ex voluntate efficaci et absoluta ejusdem finis. Quod ostendit Apostolus ad Romanos scribens (VIII. 28. seq.): *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti . . . quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Quamobrem ex gratuita Dei voluntate promanat praedestinatio ad gloriam.

Scholion. Plurima sunt, quae gratuitam praedestinationem ostendunt SS. Librorum testimonia. Praeclarissimum est, quod Paulus habet *ad Rom. IX. Cum nondum nati fuissent* (Esau et Jacob), *nec aliquid boni egissent aut mali, ut secundum ele-*

ctionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori; sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Ubi exemplo Esau et Jacob adoptionem in Dei filios non ex operibus, sed ex sola Dei bonitate descendere scribit. Quod ut firmet magis, subdit: *Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit: Moysi enim dicit: Miserebor, cujus miserebor: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei . . . O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nonne habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.* Ad declinandam argumenti hujus vim omnes ingenii nervos intendunt adversarii: ajunt non pauci, Paulum excludere praevisa merita viribus naturae, non gratiae comparata. Attamen si id verum esset, ad impenetrabilia Dei judicia, ut recurreret, opus non habuisset Apostolus; facile enim potuisset asserere, unum praedestinatum fuisse ad gloriam, alterum reprobatum, eo quod praevidit Deus hunc auxilio gratiae bene usurum, dum alter oculos eidem clausit, neglexitque. Contendunt alii, gentium Doctorem non ad praedestinationem respexisse, sed Jacob et Esau nomine duos respexisse populos Israeliticum et Idumaeum, qui postremus erat alteri serviturus. Sed inanem hi ludunt operam, quum exemplum duorum populorum ad electos et reprobos transferat Paulus, uti contextus evincit. Quae vero Scripturarum auctoritates innuunt gloriam meritis a Deo retribui, de praedestinatione in ordine exequutivo accipienda sunt.

§. CXCVI.

Id Augustinus aliique Patres tradunt.

Gratuitam praedestinationem ad gloriam docuisse Augustinum, qui partium deponat studium nemo unus ambiget. Innumera propemodum, quae id declarent, S. Doctoris luculenta sunt testimonia. Unum seligam: ex duobus parvulis, ait, originali peccato pariter obstrictis, *cur iste assumatur, ille relin-*

quatur: et ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei: ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei (*De dono pers.* c. 9. Confer et XI. et XII. tum *de praed. SS. de Corr. et grat.* cap. 7. 8. 9.). Quis non intelligat, ex gratuita praedestinatione exoriri, quod parvulus gratia ornetur baptismatis, vitam finiat, et gloriam consequatur; dum alter parentibus festinantibus, et ministris paratis e vita prius decedat, quam sacro baptismatis fonte renasci queat? Quod si ex judiciis Dei inscrutabilibus Augustinus repetit, ex impiis duobus unum ita vocari, ut Deum vocantem sequatur, alium autem non ita vocari, ut revera ad fidem justitiamque perveniat; si ad impenetrabiles nobis Domini vias confugit, cur ex duobus piis uni, non alteri perseverantia donetur, palam fit, ex solo Dei beneplacito ipsum repetere, cur unus, non alter eligatur. Ex praevisis itaque meritis praedestinatio non fit. Cum Augustino conveniunt Ambrosius (*De fuga saeculi* c. 1.), Prosper (*Carm. de ingratis*), Fulgentius (*De ver. praed.* cap. 2.), Gregorius Magnus (*Hom. VIII. in Ezech.*), Bernardus (*Serm.* 78. *in Cant.*), S. Thomas (Lib. III. *contra gentes* cap. ultimo, *et in comment. epist. Pauli ad Rom. et Eph.*), ut de aliis sileam.

Scholion. Molinae asseclae adversus gratuitam praedestinationem ex Patribus praesertim graecis plura proponunt; quorum ut assequaris mentem, hos canones prae mente habeas. I. Nos haud debere nimium esse sollicitos de Patribus, qui ante exortam haeresim Pelagianam floruerunt, eo quod *in hac difficili ad solvendum quaestione versari necessitatem non habuerunt, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur*: inquit Augustinus *de Praedest. SS.* c. 14. Ita nonnulli Orientales Patres ante enatam Arianam haeresim nonnulla innocenter, et minus caute protulerunt, quemadmodum observat S. Hieronymus adversus Ruffinum lib. II. c. 4. II. Veteres Patres praescien-

tiam pro ipsa praedestinatione acceperunt, uti tradit Augustinus *de dono Persev.* n. 48. III. Rationem habendam esse eorum nullam, quos Pelagianis, aut Semipelagianis praelusisse, aut favisse diximus (§. CLXXIII. Sch. et CLXVIV.). IV. S. Joannem Chrysostomum, aliosque non raro loquutos fuisse de Praedestinatione in ordine exequutivo, secundum quam merces est, corona, et bravium; atque in suis ad populum concionibus, quid agere debeant homines, ut salutem consequantur, dixisse; minime vero considerasse, quid in sua praedestinatione decreverit Deus. Confer Berti lib. VI. edit. postremae, ubi argumenta adversus gratuitam praedestinationem ex Semipelagianorum officina deprompta esse demonstrat, Witasse tom. I. quaest. XV. Bossuet *defense de la Tradition des SS. Peres.*

§. CXCVII.

Reprobatio positiva ex praevisis demeritis fit.

Reprobatio idem est, ac *rejectio*; haec porro duplex est: *positiva*, qua Deus reprobis gravissimam damnationis poenam decernit: *negativa* quae exclusionem dicit a gloria. Reprobos dari ex Paulo manifeste apparet (II. ad Corinth. XIII.), hi vero a Christo Domino *maledicti* vocantur (Matth. XXV. 41.), et *filii perditionis* (Joan. XVII. 12.), atque a geutium Doctore *vasa irae* (ad Rom. IX. 22.). Jam vero dogma catholicum est, Deum ad aeternas poenas decernere neminem, quin prius in praescientia sua exploratam habuerit ejusdem malitiam. Nam *diligit Deus omnia, quae sunt, et nihil odit eorum, quae fecit* (Sap. XI. 25.); qui etiam per Oseam asserit: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum* (XII. 9.). Quae profecto falsa essent, si absque demeritorum praevisione, ad sempiternum supplicium homines plures destinaret. Ex ipsa quoque Divinorum attributorum notione Augustinus ostendit, Deum gratuito ad gloriam praedestinare homines posse, non autem absque praevisis peccatis ad poenam. *Bonus*, inquit, *est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est* (Lib. III. contra Julian. c. 18. Vid. et lib. I.

op. imp. n. 39. lib. II. n. 13. et 30). Patrum traditionem afferre supervacaneum est, quam esse exploratissimam affirmant etiam (Cent. II. c. 4.) Magdeburgenses Centuriatores.

Scholion. Calvinus lib. III. instit. cap. 22. et 23. blasphemam hanc doctrinam affert, Deum ante praevisa demerita homines ad aeternas poenas destinare, hujusque decreti intuitu homines reprobos ad peccata perpetranda compellere: unde merito Praedestinatianis eum (§. CLXXXV.) accensuimus. Nihilominus Calvinus alibi sententiam suam temperare visus est; unde de ejus mente inter suos ipsos contentio est, atque supralapsariorum scita praeformasse negat Holzussius tract. *de praed. elect. et rep.* Confer. Walchium Bibliot. tom. II. sect. 19. p. 1023. si plura hac de re scire aves.

§. CXCVIII.

Calvinistarum supralapsariorum argumenta dispelluntur.

Non raro in sacris litteris haberi, Deum praedeterminare peccata, affirmant Calvinistae, qui supralapsarii nuncupantur. I. ajunt: Petrus affirmat nonnullos ad non credendum fuisse determinatos: *His*, inquit, *qui offendunt verbo, nec credunt* (εἰς ὃ) *in quod et positi sunt* (I. Epist. II. 8.). II. Christus *in Actis* (II. 23.) *Apostolicis* traditus dicitur definito Dei consilio, et praescientia. III. Saepe in sacris libris (Ex. VII. 3. Jo. XII. 40. ad Rom. IX.) legimus Deum hominum corda indurare, et peccatores excaecare. IV. Quid? quod in Proverbiis (XVI. 4.) habetur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Quibus ordine reponimus: Petrum de Judaeis habere sermonem, qui impingunt in verbum, sive Evangelii sermonem, in quo, ut Vulgata ait, vel in quod, ut habet graecus fons, positi sunt: quia scilicet Religio Judaica novae legis figura in eo posita erat, et constituta, ut in Christum crederetur: quod ii sponte pervicaces facere recusarunt. Alteri difficultati ita occurrimus: Deum humani generis redemptionem decrevisse, mortemque unigeniti Filii sui, eodemque tempore in sua praescientia aversum malignumque Judaeorum animum novisse, atque ad inferendam Christo necem para-

tum (§. LVII.). Quod primum, bonumque Deus definivit, alterum, quod malum, permisit. Ex ipso objecto loco res patet, in quo definitum cousilium cum praescientia conjungitur. Quantum ad tertium asserimus, Deum excaecare, et obdurare sensu minus proprio: *Sic enim excaecat, sic obdurat Deus deserendo, et non adjuvando, quod occu'to judicio facere potest, iniquo non potest*, inquit M. Augustinus (Tract. 53. in Joan. n. 6.). Postremum solvitur, si dicamus, Deum eos, quos voluntate propria impios futuros praevidit, ad gloriam suam ordinasse, nempe ad suae justitiae manifestationem. At enim impietatis Deum causam non esse inde evincitur, quod *odio sunt Deo impius, et impietas ejus* (Sap. XIV. 9.).

Scholion. Praesidium insuper sibi quaerunt Calviniani in Augustino, qui *de grat. et lib. arb.* cap. 21. exemplo obdurati Pharaonis ac aliorum reproborum apparere scribit: *Operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit sive ad bonum, pro sua misericordia, sive ad malum pro meritis eorum*: sed hallucinantur; subdit enim S. Doctor: *Quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem.* Quamobrem diverso modo operatur Deus ad inclinandas hominum voluntates: ad bonum per gratiae suae adjutorium, nam Augustino teste salutaria opera sine gratia facere nequimus: ad malum autem subtrahendo auxilium suum, quia, ut ipse Augustinus non semel ait, hominis voluntas ad malum seipsa sufficit.

Reprobationem negativam a solo Dei beneplacito pendere Thomistarum plures asserunt; Augustiniani vero ob peccatum originis fieri contendunt. Nobis autem ex Thomistis doctissimis assentiuntur Thomas de Lemos, Godoy, Gonet, Graveson, Cardinalis Gotti. Confer Norisium in *Vind. August.* cap. 4. §. 10. Berti lib. 6. c. 18. *Iuvenin, Du Hamel, Habert, L' Herminier.*

§. CXCIX.

Vim intrinsecam gratiae Augustiniana schola per delectationem victricem, Thomistica per praemotionem physicam explicat.

Amicas jungunt dexteras Augustiniani, et Thomistae in propugnanda strenue gratia, quae efficaciam a se habet, hominesque ab bonum operandum certissime ducit; at in explicando modo quo gratia efficaciam suam exerit, aliquatenus discrepant. Thomistarum sententia est: causas secundas omnes in operationibus suis *essentialiter* a Deo ita dependere, ut nullam actionem consideratam sive in naturali, vel supernaturali ordine agere queant, si non ab eo determinentur, et actioni applicentur. Id multo magis dicendum esse ajunt de operibus ordinis plane supernaturalis in statu corruptae naturae, in quibus etiam altioris ordinis *praemotionem physicam* agnoscunt: nempe ut creaturae dependentia essentialis salvetur, atque natura per peccatum primorum parentum corrupta, et vitiata sanetur. Augustiniani vero Theologi, quum in sanctae dilectionis inspiratione Magistro Augustino gratiam constituant (§. CLXV.), quae in omnibus non est eadem, habeatque suos gradus (§. CLXVII.), et insuper faciat, ut homo tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat (§. CXCII.), atque haec tribuat, ut Augustinus ait, certam scientiam, et victricem delectationem (Lib. II. *de pecc. mer.* n. 32.), quandoquidem ipsa liberat delectationem voluntatis a consensione cupiditatis (Aug. lib. I. *Contra duas Epist. Pelag.* n. 18.), atque id tunc contingat, quando *ispirata gratiae suavitate per Spiritum sanctum fecit* (Deus) *plus delectare, quod praecipit, quam delectet, quod impedit* (Aug. *lib. de spir. et litt.* n. 51.): hanc ob causam gratiae naturam in delectatione relative victrici, et superante contrariam cupiditatem, quae ex peccato est, et ad peccatum inclinat, constituunt. Nihilo tamen minus admittunt etiam, vires gratiae nonnumquam adeo intensas esse, et validas, ut omnem illico cordis duritiem vincant, qualis fuit gratia Latroni in cruce, Paulo, aliisque collata; hancque absolute victricem appellant.

Scholion. Hac data opportunitate perbrevem Augustiniani Systematis analysim dabo. I. Deus habet supremum, summumque dominium supra creaturas suas, quas regit, et sua providentia ad bonum universale tantum praemovet. II. Condidit Deus hominem, rectum, innocentem, et habitualis gratiae donis exornatum, at immortalitas ac primi hominis integritas naturales haud fuerunt ejus proprietates, sed Divinae gratiae beneficium. III. Quoniam sub Deo justo nemo miser est, nisi mereatur, hinc ex lege suae justitiae, et providentiae haud decebat, Deum creare hominem concupiscentiae, aliisque miseriis subditum, vel gratiae donis expoliatum. Quapropter status, ut vocatur purae naturae, est impossibilis. IV. Innocens creatura, etsi absque Divinae gratiae auxiliis perseverare non posset, quoniam nulla erat in voluntate infirmitas, nulla ad malum propensio, nullum mortis periculum, sed omnia sana essent, ordinata, robusta, non indiguit auxilio, quo fieret, ut perseveraret, sed eo tantum, ut Augustinus ait, sine quo perseverare non posset. Hoc solo auxilio suffulti Angeli boni in veritate steterunt; unde sancti Angeli ex meritorum praescientia fuere praedestinati, quae quidem merita haud per scientiam mediam, sed per scientiam visionis Deus praevidit. V. Homo, etsi aeque perseverare potuisset, cecidit, unde supernaturalia amittens dona stirpem suam tamquam in radice vitiavit. Mors quoque, concupiscentia, ignorantia, aliaeque hujus vitae miseriae sunt poena originalis peccati. VI. Ex hominibus lapsis, alios a massa perditionis gratuita misericordia Deus discrevit, relictis aliis justo suo judicio in massa perditionis. Quapropter reprobationis negativae causa ex peccato originali, positivae vero aut ex peccato originis infantibus non baptizatis, aut ex praevisis peccatis actualibus est repetenda in adultis; quo fit, ut praedestinatio ad gloriam sit prorsus gratuita. Deus autem quos ab aeterno praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui, eosdem in tempore efficaci sua gratia vocat, justificat, glorificat; hinc primus medicinalis gratiae effectus est vocatio ad fidem; nullam tamen habet Deus meritorum naturalium in elargienda gratia sua rationem. VII. Medicinalis haec Christi gratia in sanctae di-

lectionis inspiratione consistit, quae tamen aliquando ob majores concupiscentiae gradus inefficax est, et effectum, ad quem ordinabatur, non producit, quae gratia a tribus circiter saeculis vocari caepit *sufficiens*. VIII. Gratia Christi, quum superat contrariam concupiscentiam est efficax, et victrix. Porro, quamvis voluntas humana ab efficaci gratia intrinseca sua virtute ad bonum infallibiliter determinetur, manet tamen semper integrum in homine voluntatis arbitrium, retinetque semper veram potentiam ad non agendum. IX. Deus voluntate antecedenti omnium hominum salutem vult, pro omnibus etiam mortuus est Christus, attamen non omnes mortis ejus fructum percipiunt; unde parvuli sine baptismo decedentes, infideles pure negativi carent auxilio gratiae medicinalis. Horum tamen non pauci nonnumquam vel interiori, vel exteriori gratia ad veram fidem cognoscendam moventur, at tunc, si in infidelitate permaneant, non erunt amplius negative, et inculpate infideles: Deus etiam aliquando excaecatis, et obduratis gratiae suae adjutorium subtrahit. X. Ab infidelibus aliqua opera moraliter bona sine Christi gratia fiunt, quae non tantum ex officio, sed etiam ex fine proximo bona sunt, quamvis ex operantis defectu, qui ea ad finem ultimum non refert, undequaque bona censenda non sint. Vid. Bellelli opus cui titulus: *Mens Augustini*, Berti *de gratia*, *et in Augustiniano systemate vindicato.*

§. CC.

Gratia efficax libero arbitrio non officit.

Jam vero efficacem Dei gratiam libertatem humanam minime laedere, quotquot eam propugnant Catholici, strenue defendunt. At in modo inveniendo, quo utrumque concilietur, non omnes ejusdem mentis sunt. Thomistis ad sensum compositum, ac divisum confugere familiare est: inquiunt enim sub efficaci praedeterminante gratia esse non posse in sensu composito actum contrarium, bene vero absolute, ac in sensu diviso. Ea ratione qua facta hypotesi, quod voluntas efficaciter se determinaret ad amorem, in sensu composito fieri haud posset, quin non amet, libera tamen esset quia absolute et in sensu diviso potest non amare. Augustiniani vero Theologi ita sentiunt: voluntatem nostram ex sua

natura ad bonum in communi, quod ipsius objectum est, necessario ferri, ac refugere malum; motum autem illum, quo voluntas in objectum fertur, esse amorem. Quandoquidem, si inquiras sedulo: Cur voluntas objectum aliquod amet, id evenire perspicies, quia delectat: si ulterius ad examen revoces quare delectat, nihil aliud invenies, nisi quia bonum est. At bonum, quod amant homines, malum, a quo abhorrent, saepissime verum non est, sed tantum apparens. Cujus rei inde ratio petitur, quod voluntas objectum non amet, nisi ab intellectu noscatur, exhibeaturque veluti bonum. Porro cum intellectus in nobis judex sedeat, ac majori vel minori rerum ignorantia laboret, tum adhibeat propensiones voluntatis ingenitas, ac acquisitas, oblectamenta sensuum, educationis praejudicia, vulgi opiniones, fit, ut in judicio, ut ajunt practico, saepe erret, ac voluntati exhibeat tamquam bonum, quod in se est malum, et sub mali specie verum bonum. Hinc enascitur libertas, quae ad voluntatem quidem pertinet, sed ab intellectus cognitione dependet. Quapropter libertas duplex est; nam si intellectus sub unica boni specie objectum percipiat, nec in eo mali alicujus speciem deprehendere queat, tunc voluntas sponte, sed necessario in illud veluti suum proprium, ac naturale objectum fertur: haec libertas a coactione dicitur, quae in hoc naturae lapsae statu ad meritum, demeritumque haud sufficit. Hoc pacto beatitudinem naturaliter amamus, ac sancti in coelis Deum vident. Verum si indifferens cognitio sit, atque intellectus boni malique rationes in objecto noscat, indifferens quoque libertas erit, qua in omnibus actibus nostris potimur, excepto felicitatis amore. Ex his fit manifestum; ideo in primo casu voluntatem necessario operari, quod objectum sub sola boni ratione propositum, eam ita attrahat, rapiatque, ut nullam ipsi indifferentiam relinquat; at in altero intellectus boni malique species voluntati exhibet, ac sicuti a bono movetur, ita a malo repellitur; proindeque manet indifferens, ut possit objectum prout bonum prosequi, vel aversari ut malum. Nihilominus, et si voluntas plena indifferentia eligere potest, vel rejicere quod agit, tamen sequitur semper libere, quod magis delectat;

nam id, quod operatur, deserere omnino posset, sed deserere non vult, quia illud prae caeteris amat. Nec quempiam moveat, nos interdum ea operari, quae tristitiam ac maerorem nobis ingenerant: nam tunc temporis in id etiam intendimus, quod magis delectat. Qua ratione martyres, dum atrocissima tormenta patiebantur, magis tamen amor Christi, ac aeterna beatitudo delectabat, quam vita ipsa; mercatorem autem, dum merces in mare projicit, vita magis, quam pecunia delectat. Ex his duo statuere possumus axiomata: primum, quod voluntas nostra semper id sequitur, quod libratis omnibus actionis adjunctis ac fine praesertim nos magis delectat: alterum, quod plena, atque indifferentiae libertate, quod magis delectat, prosequitur, unde Augustinus (Tract. XXVI. in Joan. n. 4.) ajebat: *Poetae licuit dicere: Trahit sua quemque voluptas; non necessitas sed voluptas, non obligatio sed delectatio.* At enim cum efficax Dei gratia intellectum illustret, et inspirando sanctam dilectionem (§. CLXII. CLXV.) efficiat, ut Dei mandata, virtutes, Deus ipse delectent; voluntas boni delectatione se moveri sentit (*), ac in illud libere, et cum indifferentia fertur; nam in bono, quod eam delectat, invenit adhuc plures mali apparentis licet rationes, quibus ab ejus prosequutione repellatur: nempe quod sensuum voluptates prohibeantur, virtutes arduae sint, aliaque hujusmodi; unde fit, ut electiva vis sub quacumque victrici gratia permaneat, in quo liberi arbitrii natura reponitur (**). Itaque si homines dum agunt, id sequuntur semper, quod magis delectat, ac in operando sunt liberi; quis aequus rerum aestimator pronuntiare audebit, homines ipsos divinae gratiae efficacia Deum, ipsiusque mandata diligentes, liberos amplius non esse?

(*) Sanctam hanc ac divinitus inspiratam delectationem physice determinare liberum hominis arbitrium tenet Cl. Berti lib. IV. cap. 13. ac plures alii. At delectationem hanc moraliter tantum determinare, sententia est Cl. Habert de gratia Christi cap. VI. §. VII. aliorumque.

(**) Hac de re egregie scripsit Auctor operis *Janseniani erroris calumnia a Ven. Episc. Palafox sublata.*

Scholion. Ad libertatem non tantum requiritur libertas a coactione, sed etiam a necessitate (§. XLVIII.), quae libertas indifferentiae, vel arbitrii dicitur. Indifferentia vero duplex est, alia suspensionis, et otii, qua quis incertus est, quid agere debeat; altera antem facultas est unum prae multis eligendi : prior ad liberum arbitrium haud est necessaria ; nam liberrimus est Deus, nec tamen in agendo incertus, animique pendens. Advertas etiam necessarium haud esse ad libertatem perfectum virium aequilibrium, liberi enim in iis etiam sumus ad quae vehementer inclinamur, immo illud rejecerunt in acceptatione *Bullae Unigenitus*, centum Galliarum Episcopi *corps de doctrine*. Vid. etiam *traitè de l'equilibre* 1727. in 4. Nec juvat quod adversarii nostri asserunt, voluntatem nostram gratia efficaci suffultam ab opere bono numquam fore cessaturam, ac proinde de arbitrii libertate actum esse. Nam Gratia Christi medicinalis est, nostramque sanat infirmitatem (§. CLIX.). Quamobrem sicuti homo quilibet veram habet consciscendae sibi mortis potestatem, quod tamen sanus mente efficiet numquam ex eo quod amor vitae in eo praevalet ; ita sub quacumque potentissima gratia potestatem habet homo faciendi malum, ad quod seipso sufficit ; id tamen minime praestabit, dum gratia Dei illuminatus suavitate allicitur, trahiturque ad bonum operandum.

§. CCI.

Quod etiam defendit Augustinus.

Perperam liberi hostes arbitrii Augustinum patrocinari sibi gloriantur : perperam Acatholicorum non pauci S. Doctorem eam ajunt tribuisse gratiae energiam, ut a recto deflexerit tramite negando hominis libertatem. Quandoquidem ipse non iis tantum in libris, quos feliciter adversus Manichaeos conscripsit, liberum arbitrium in homine persistere solide demonstravit : verum etiam, ubi vigentem Pelagianorum haeresim confodit, efficacisque gratiae propugnavit necessitatem. Enimvero Pelagio opponenti, eum cum Manichaeis libertatem evertere, reponit : *Non ita est ut loqueris, quicumque ista dixisti : non est ita, multum falleris, vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium* (Lib. II. *de*

nupt. et conc. cap. 3.), cumque haec Hieronymi adversus Jovinianum verba approbet : *Liberii arbitrii nos condidit Deus , nec ad virtutem , nec ad vitia necessitate trahimur , alioquin ubi necessitas, nec corona est* (De nat. et grat. cap. 65.): atque *lib. de grat. et lib. arbit.* pluribus Scripturarum testimoniis eandem rem conficiat ; manifestum fit , Sanct. Doctorem liberi arbitrii non hostem fuisse , sed strenuum defensorem.

Scholion. Ex his haud multum difficile erit iis occurrere, quae ex Sanct. Doctore adversus liberum arbitrium producunt Calvinistae supralapsarii. Nam quum dicit in *Enchiridio ad Laurentium* : *Libero arbitrio male utens primus homo , et se perdidit , et ipsum* ; ita intelligendus est , quod libertas perierit a miseria , et a peccato, non autem ipsa perierit agendi , et non agendi facultas , quamvis tamen haec ad exercendam virtutem non adeo perfecta nobis adsit , et plena , quemadmodum erat ante hominis primi peccatum. Quamobrem Augustini mens erat adversus Pelagii errores existentiam originalis peccati , ejusdem effectus , et gratiae necessitatem ostendere : at libertatem nobis adesse libenter dabat Pelagianis. Genuinam insuper ut percipias Augustini mentem , adverte , Sanct. Doctorem , dum necessitate nos peccare affirmat , vel de originis peccato loqui , vel de peccato in ampliori significatione accepto, vel de necessitate hypothetica , et consequente , secumque ferente ad evitandum malum difficultatem. Quod si absque flexibili libertate laudem , justitiam , veramque virtutem nos comparare affirmat *de nat. et grat.* cap. 46. *op. imp.* lib. V. n. 6. , de ea tantum sermonem habet , quae circa finem versatur , non circa media , quorum si non habeamus electionem, liberum arbitrium haud persistere , nec haberi meritum non raro S. Doctor affirmat.

Ex asserta ab Augustino , ejusque discipulis gratiae efficacia liberum arbitrium tolli criminabantur Pelagiani , tum Massilienses Semipelagiani , uti ex VIII. objectione Gallorum apud Prosperum evincitur, quorum recoxerunt crambem Acatholici non pauci ,

uti Buddaeus *Institut. Theolog. dogm.* lib. 4. cap. 3. §. 45. Walchius *Biblioth. Theol.* tom. II. cap. V. sect. 18. §. 2. aliique.

CAPUT V.

De gratiae sufficientia.

§. CCII.

Praeter efficacem admitti debet inefficax gratia cui liberum arbitrium resistit.

Divinae largitatis beneficio non eam solum recipimus gratiam, quae a se efficax est, atque bona opera in nobis producit; verum etiam obtinemus aliam, quae inefficax dicitur, cui libertatis nostrae arbitrio resistitur. Praeclarum habemus hujus veritatis argumentum in verbis Christi Domini (Matth. XI. 21.): *Vae tibi Corazain, vae tibi Betsaida, quia si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent.* Signa haec, et virtutes ab interiori gratia sejuncta non fuisse dicendum est, quum iis visis Corazaitae, et Betsaitae credidissent, suorumque delictorum egissent poenitentiam. Sed quid in rem nostram clarius verbis Stephani pervicaciam Judaeorum increpantis? *Dura cervice, et incircumcisis cordibus vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut et Patres vestri, ita et vos* (Act. VII. 51. Conf. Prov. I. 18. Is. V. 4. Matth. XXIII. 37.). Augustinus vero, etsi in suis adversus Pelagianos libris gratiam efficacem, quam ipsi ibant inficias saepe propugnet, inefficacem etiam admisisse indubium est. Enimvero de puero baptizato, si ad adultam aetatem perveniat, asserit habere *concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit* (Lib. I. *de pecc. merit.* n. 69. Vid. in Ps. 124. n. 2. *de corrept. et grat.* n. 34.). Immo conversionis suae tempore ob inveteratam pravam consuetudinem se Divinae gratiae restitisse humiliter, et sincere fatetur (§. CLXVII.). Quamobrem proscripta merito fuit haec Janseniana propositio: Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.

Scholion. Ad praecavendos, ac una profligandos adversariorum errores advertendum est, aliam esse potentiam, quae cum ipso actu conjungitur, alteram, qua fit, ut homo in actum prodire possit; ista constituit voluntatem expeditam, ut ajunt, ab omni impedimento *impotentiae*, quod gratiae inefficacis munus est; illa voluntatem constituit expeditam ab omni impedimento *nolentiae*, eamque habemus, quum efficaci gratia sumus exornati. Quapropter affirmans Augustinus *de gr. et lib. arb.* c. 17. eum, qui gratiam non habet efficacem haud posse Dei mandata observare, de potentia cum actu conjuncta intelligi debet.

§. CCIII.

Divisio gratiae in efficacem, et sufficientem.

Gratia haec inefficax, quae tamen effectum aliquem bonum producit semper, sanctam scilicet illustrationem mentis, ac aliquam boni cupiditatem licet imperfectam, a Scholasticis Theologis dici consuevit *sufficiens*; cui tamen voci candem vim, ac potestatem omnes minime attribuunt. Qui Molinae sequuntur vestigia, eam vocant *sufficientem*, quae poenitentiam ita elevat, perficitque, ut quis ulteriori gratia ad opus salutare peragendum non indigeat. Nonnemo est, qui iis assentitur, si de nonnullis facilioribus actibus, et de oratione ad uberiorem gratiam obtinendam sit sermo: nam quantum ad caeteros pietatis actus gratiam a se efficacem iimet admittunt necessariam. Alii vero, quorum amplectimur doctrinam, sufficientis gratiae munus esse dicunt, ut tribuat posse bene operari, quamvis, ut reapse bonum operetur, efficax requiratur gratiae Divinae adjutorium. Atque hoc sensu recte dividi gratiam in *efficacem*, et *sufficientem* facile est demonstrare. Datur gratia, cujus virtute non tantum bonum operari possumus, sed etiam cum ea semper operamur, atque haec *efficax* est (§. CXCI. seq.); alia insuper datur, quae licet ipsam non tribuat operationem, dat tamen *posse* bene operari (§. praec.). Recte itaque in *efficacem*, et *sufficientem* dividitur gratia.

Scholion. Paschalis in suis *epistolis Provincialibus* ep. 2. sufficientem hanc gratiam pluribus de-

ridet. At perperam: Etsi enim haec vox sufficiens a tribus saeculis primo in scholis invaluerit; tamen ad designandam gratiam, quae potentiam veram tribuit, non autem actum, merito admittitur. Sic enim passio Christi pro omnium salute *sufficiens* dicitur, etsi, ut quis revera salutem consequatur, ejus fructus nobis sit per Sacramenta, exactamque legis observantiam applicandus. Quid plura? Non est de vocibus lis instituenda, cum de mente constat: nos vero gratiam sufficientem non in sensu grammaticali, secundum quem id dicitur sufficiens, praeter quod ad effectum ipsum producendum nil aliud requiritur; sed vestigia sequentes Cardinalis de Laurea op. 3. c. 18. aliorumque doctissimorum Theologorum in sensu tamen theologico admittimus.

§. CCIV.

Gratia sufficiens non continet ex parte Dei totum id, quod necessarium est ad operandum.

Porro sufficientem, quam descripsimus, gratiam haud continere ex parte Dei totum id quod ad bene operandum requiritur, inde evincitur luculentissime, quod, si vera esset adversariorum opinio, omnes ii, qui gratia sufficienti instructi sunt (habent autem, ut ii contendunt singuli), Deum, ut auxilio gratiae suae eos suffulciret, haud exorare tenerentur; ii namque ex parte Dei haberent totum, quod ad credendum, bene operandum, in accepta justitia perseverandum opus habent. Quis autem, nisi irrisorie petat, quod jam in sua habet potestate? Sed consequeretur etiam, necessariam haud esse ad bene operandum *efficacem* gratiam. Nam quae sufficiens dicitur, a se sola ad omnia opera bona efficienda satis esset, absque eo, quod ex parte Dei cujus est efficacem conferre gratiam, aliud exigeretur. Aut certe hominis voluntas per suum consensum absque uberiori auxilio efficeret, ut gratia sufficiens redderetur efficax. Verum has ipsas opiniones solide jam (§. CXCI. CLXXXIX.) refutavimus. Quo fit, ut argumenta omnia, quibus *Molinistarum*, et *Congruistarum* systema oppugnavimus, ea quoque ostendant, gratiam hanc non continere ex parte Dei totum id, quod ad bene operandum requiritur.

Scholion. Jure meritoque ab Alexandro VIII. proscripta fuit haec propositio: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut perinde possimus petere: A gratia sufficienti libera nos Domine.* Enimvero gratia haec mentem illuminat, ardorem concupiscentiae imminuit, peragendique boni operis potestatem largitur. A Deo insuper datur, ut uberiores gratias impetret, si propriam homo agnoscens infirmitatem, ad gratiam convertatur juvantem, et oret; quod si implicitus superbia, id facere renuat, propriae culpae adscribat, si fortiore adjutorio non suffulciatur. In systemate etiam *delectationis relative victricis* gratia considerata, prout inefficax est, ab efficaci distinguitur: et quamvis gratia, quae in uno inefficax est, in alio possit ob minorem obdurationem, et concupiscentiam efficax esse; nihilominus sola gratia efficax ex parte Dei continet totum id, quod ad bene agendum exigitur; cum ex ipsius sola voluntate descendat, ut tantum largiatur gratiam, quae contrariam concupiscentiam frangat, vincatque.

§. CCV.

Haec justis volentibus, et conantibus non deest.

Quum omnis bona voluntas, pium omne desiderium praevenientis gratiae donum sit (§. CLXXVI.); atque nisus, conatusque justorum, quo Divina praecepta observare volunt, procul dubio sit bonus, consequitur, justos divina gratia, qua mandatis obtemperare valeant, exornatos esse. Quod si voluntas, quam jam illi habent bonam, adhuc parva sit, potentiam tamen largitur ad deprecandum Deum proxime expeditam, qui uberiorem exoratus et validiorem gratiam subministrare paratus est. Nam, ut ait Augustinus (De nat. et gr. c. 43.): *Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis.* Habent etiam justi caritatem habitualem, quae ad mandata custodienda, bonumque peragendum inclinat (§. CLXXXI. Schol.), atque tanta est Dei beneficentia, ut deserat neminem, nisi prius deseratur. Quod insinuaverat Apostolus Paulus ad Corinthios (I. Epist. X. 13.) scribens: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione pro-*

ventum, ut possitis sustinere: cumque mandatum, quod nobis proponitur, non sit supra nos, et procul positum (Deut. XXX. 11.), et Christi jugum suave sit, et onus leve (Matth. XI. 30.), apparet damnatam merito fuisse primam Jansenii propositionem: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, et secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque gratia, qua possibilia fiant.*

Scholion. Ad cludendam vim argumenti ex Paulo deprompti, inquiunt adversarii, eum de electis fuisse locutum. Non ibo inficias nonnullos Patres Pauli textum ad praedestinatos modo quodam peculiari retulisse; at eum non minus de justis reliquis intellexerunt; et quidem merito: quum v. 12. legamus: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Hinc Tridentini Patres *sess.* XXIV. can. IX. veluti catholicum dogma proposuerunt, Deum non pati, *nos supra id, quod possumus, tentari.* Atque jam *sess.* VI. c. XI. adversus Lutherum, et Calvinum definiverunt, Deum impossibilia non jubere.

§. CCVI.

Adversariorum argumenta dispelluntur. Multa congerunt adversarii argumenta, ut deesse justis gratiam, atque haud possibilia ipsis esse mandata evincant. Nonnulla proferamus: Augustinus, ajunt, *de grat. et lib. arbitrio* (Cap. XVI.) scribit: *Jubet aliqua (Deus) quae non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus*: et S. Joan. Chrysostomus (Hom. XXXI. in Epist. ad Hebraeos) ait: *Negatio Petri non tam erat socordiae, et negligentiae, quam ex eo, quod Deus eum deseruerat. . . . . ut sciret, quod absque Deo nihil potest fieri.* Petrum vero justum fuisse omnes norunt. Quibus reponimus, Augustini mentem fuisse adversus Pelagianos operationis gratiam defendere, atque quum alia sit potentia, quae cum actu conjungitur, altera ab actu sejuncta (§. CCII. Schol.); de prima S. Doctor objecto in loco sermonem instituit; altera haud exclusa, quam nitide et clare ipsemet praedicavit (§. CCII.). Quantum attinet ad S. Jo. Chrysostomum, asseruit merito, non socordiae, et negligentiae lapsum Petri

adscribendum esse, cum ipsius potius superbiae attribui debeat; quippe, qui solis naturae viribus se constantem, et intrepidum permanere posse judicabat. Quam ob causam desertus fuit Petrus a Deo, sed postquam superbia tumidns ipse Deum deseruerat, ac orare neglexerat, ut uberiorem obtineret gratiam, qua reapse Christo Domino fidelis permaneret. Sapienter Augustinus (De unit. Eccl. c. IX. Vid. et de grat. et lib. arb. n. 31. et 33.): *Petrus si voluisset, ter Dominum non negasset; nam cum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, et Deo cum Propheta dicere: Adjutor meus esto, ne derelinquas me.*

Scholion. Antonius Arnaldus plurium operum editione notissimus, tum ob susceptum Jansenii patrocinium, tum hujus propositionis causa: *Scriptura, et Patres nobis in B. Petro exhibent hominem justum, cui gratia, sine qua nihil possumus, defuit, in ea occasione, in qua dici non potest, eum non peccasse*: male apud multos audiit, ac Parisensis Facultas, Doctoribus tamen non paucis repugnantibns, memoratam propositionem damnavit veluti temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et haereticam: quandoqnidem judicabant in ea latere primam Jansenii propositionem (§. CCV. refutatam). Sunt tamen, qui aliud de eo judicium proferunt, eo quod *praef. ad dissert. de grat. eff.* in justis volentibus, et conantibus gratias excitantes sensu Thomistico se admittere fatetur. Videri etiam possunt, quae protulit in *Dissert. theol. quadripartita.*

§. CCVII.

Tanta fuit Christi Domini beneficentia, ut sicuti universa Adae posteritas in peccatum incidit; ita et pro omnibus pretium dare, mortemque subire voluerit; hinc singulos in via, qua ad salutem pervenire queant, posuit: omnibus jus dedit ad Ecclesiam accedendi, remedia in Sacramentornm virtute instituit, omnibusque paravit, ac propitiationem per fidem in sanguinem ipsius proposuit omnibus: immo quantum in se est, nemini denegat gratiam; sed ad instar medici est, qui salvare venit aegro-

Deus pro singulis media salutis instituit, paravit, exhibuit, et quantum in se est, nemini gratiam denegat.

tum (Augustinus tract. XII. in Joan. n. 12.): at si iste medici spernat praecepta suae culpae, si pereat, attribuendum est. Sane Christus Dominus non ideo venit, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (Joan. III. 17.). Verum si humana voluntas exhibitas gratias spernat; si aliae etiam divinae indignationis justae occurrant causae, mirari quis desinet, si ea divinae gratiae auxilio nonnunquam frustraretur. Nam ut sapienter Augustinus ait (De pecc. mer. lib. II. c. 17. Conf. S. Thomam 1. 2. quaest. 112. art. 3. ad 2.), gratia est, *quae hominum adjuvat voluntates, quae ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Jam vero Deum omnibus, quantum in se est, gratiam conferre paratum esse, suadent Scripturarum oracula, quibus legimus optare, ut impius a viis suis pessimis convertatur, et vivat (Ezech. XVIII. 23.); velle omnes homines salvos fieri (I. ad Timot. II. 4.); nec non illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. I. 9.).

§. CCVIII.

At hanc omnes recipere, de fide non est.

Praeceps, et inconsiderata nimium est illorum assertio, qui fidei catholicae dogma esse contendunt, gratiam sufficientem ab omnibus prorsus obtineri: nam Catholicis, gravissimisque Theologis, qui contrariae mentis sunt, erroris in fidem notam impingunt. At ipsosmet a temeritate haud excusari posse centum Galliarum Episcopi docuerunt. (*) Et sane ubinam habent adversarii perspicuos Scripturae textus? Ubi Ecclesiae definitiones? Equidem haud ignoro, in libris sacris occurrere, Deum omnium misereri, opem ferre omnibus, gratiae lumen ubi-

---

(*) In instructione pastorali inquiunt: Ce seroit une temerité de traiter d'erreur l'opinion de plusieurs savans Theologiens, qui enseignent, que la grace suffisante n'est pas donnée aux aveugles, et aux endurcis, et qui ne croient pas, qu'elle soit accordée a tous les infideles. Id est: temeritas esset, erroneam judicare plurium doctorum Theologorum opinionem, qui docent, sufficientem gratiam non dari excaecatis, et obduratis, quique haud credunt, eam omnibus infidelibus concedi. Vide Berti *Aug. Syst. Vind. dissert.* IV. c. 1. et 2.

que diffundere: verum in ipsis etiam animadvertere est, Deum non raro suam manifestare justitiam, velle a vinea sua auferre sepem et Babylonem derelinquere. Neque ex voluntate, quam habet Deus, salvandi omnes, a singulis etiam gratias recipi, ostendi potest, haec enim voluntas antecedens est, non consequens. Porro, ut antecedeuti voluntate salvos omnes fieri velit, satis est pro omnibus parata esse, et instituta remedia; verum ut omues recipiant, opus non est. Id iuficias ire poterit nemo, qui perpendat, Deum praeteritis saeculis dimisisse geutes ingredi vias suas (*Act.* XIV. 15.), iisque noluisse sua judicia mauifestare (*Psalm.* CXLVII. 20.), ac eos, qui misericordiam minime obtiuuerunt, hanc postea fuisse consecutos (*Ad Rom.* IX. 25.); tum Paulum sociosque ejus vetitos a Spiritu sancto fuisse Dei verbum in Asia loqui, et cum tentarent ire in Bythiniam, non permisisse eos Spiritum Jesu (*Act.* XVI. 6. 7.). Quae luce meridiana evincunt clarius, ex Dei salvandi homiues omnes voluntate minime consequi, singulos sufficientis gratiae auxilia recipere.

§. CCIX.

Immo ex probabiliore sententia aliquando deest excaecatis, et obduratis.

Immo si rem serio ad veritatis trutinam revoces, longe verosimile apparebit, Deum vel ob demerita cordis duritie, et pravitate comparata, vel ob originale saltem delictum nonnullis justo judicio sufficientis gratiae auxilia deuegare; quandoquidem in hoc vitiatae naturae statu, ut Augustinus ait (*De corrept. et grat.* c. 11.), *quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Jam vero excaecatos, et obduratos nonnunquam inefficaci gratiae auxilio privari (nam eos interdum divina misericordia praeveniri, converti, atque ad aeternam beatitudinem perduci indubium est), jam osteudunt proposita (§. praec.) argumenta, et vix inficias ire potest, qui perpendit, illos ab Apostolo Paulo (*Ad Rom.* 1. 24. *seq.*) nuncupari traditos a Deo in desideria cordis eorum, in reprobum sensum; tum alibi despectos a Deo vocari (*Eccl.* VII. 14.), derelictos (*Jerem.* II. 9.), nec non ab ipso excaecari, ne videant, obdu-

rari, ne corde intelligant (*Joan.* XII. 40.). At quis ignoret, Deum, qui malitiam et peccatum odio habet, excaecare, et obdurare *deserendo*, *et adjuvando*, ut docet laudatus Augustinus (*Tract. LIII. in Joan.* n. 6.), cujus etiam doctrina est, hos divinae legis praevaricatores a veritatis luce digne deseri (*De nat. et gr.* c. 22.)? Sane eos, qui vitiorum coeno ingurgitantur, libidinibus immersi odio ac invidia tabescunt, piam aliquam semper, quum praeceptum urget, cogitationem, bonamque, etsi tenuem caritatis inspirationem habere, persuadere mihi nequeo.

Scholion. Ex adversariis nostris plures existimant, quod si aliquibus gratia desit, illi in malis operibus suis haud peccent: at errant ii quam maxime; id enim improbarunt Parisiensis facultas an. 1641. Lovaniensis 1657. Clerus Gallicanus in comitiis generalibus habitis 1700. et quidem merito: nam liberum arbitrium per se ad malum patrandum sufficit; ad bonum vero, si gratiae auxilium habeat. Unde cum semper in hac vita adjuvari per gratiam possit, habet semper potentiam ad mandata adimplenda saltem remotam, quae ab ipso libero arbitrio separari nequit. Hinc Bellarminus *de gr. et lib. arb.* c. 15. inquit: *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium non solum ad opera naturalia, sed etiam ad opera moralia, et supernaturalia . . . . . . habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam et imperfectam ad opera pietatis facienda.* Augustinus autem *de gr. et lib. arb.* n. 31. *Semper*, ait, *est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.* Et revera origo libertatis indifferentiae non est gratia, sed indifferentia judicii, quae sicuti sub qualibet victrici gratia permanet (§. CC.), ita etiam deficiente gratia persistit. Enimvero particulare bonum sive verum, sive apparens est nullum, quod ita attrahat mentem nostram, ut in eo nullus defectus saltem relativus apprehendi nequeat. Vid. Berti *addit. ad lib. XVII. et in Vind. dissert. IV.* §. IX. Massoulier *dissert.* II. tom. I. S. Thomas vero *lib. III. contra gentes* c. 160. affirmat, quod sicuti ebrius ab homicidio, quod sua culpa ob ebrietatem incurrit, non excu-

satur; ita nec ille, qui ob sua demerita gratia privatur.

§. CCX.

Infideles etiam, qui *negativi* dicuntur, sufficientis sive inefficacis gratiae auxilio non raro carere, mihi eo quam maxime probatur, quod cum Apostoli ad annuntiandum Evangelium in Asiam pergere vellent, a Spiritu sancto vetiti sunt (§. CCXIII.); iis vero, quos Evangelii praedicatione privatos voluit, bonum fidei desiderium inspirasse quis dicat? Certum non minus est, adesse gentes, ad quas Christi haud pervenit cognitio: *At quomodo invocabunt, in quem non crediderunt, quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine praedicante* (*Ad Rom X.* 14.)? proindeque eos gratiae Divinae, ordine saltem communi, et generali, participes haud esse affirmandum est (Vid. *Patres Africanos in Sardinia exules in Epist. Synod.* c. 9.). Et quid aliud sonant haec Augustini verba (*De dono persev.* c. 9.): *Ex duobus aetate jam grandibus impiis . . . . . cur ille aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei*, nisi quibusdam vocationis gratiam penitus denegari? Accedit his, infidelitatem negativam haud esse peccatum, ut definitum est adversus 65. Baji propositionem; at enim si infideles omnes gratiam haberent, qua credere possent; aut non darentur infideles negativi, aut si ignorantiam viribus gratiae superare possent, infidelitas negativa, quod falsum, esset peccatum. Concludamus itaque, oportet, negativis infidelibus gratiam non raro denegari.

Tum infidelibus negativis.

Scholion. Rejicimus tamen propositionem ab Alexandro VIII. proscriptam: *Pagani, Judaei, Haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferas in illis voluntatem inermem sine omni gratia sufficiente.* Quis enim nesciat, ex iis non paucos ita ad fidem vocari, ut credant? plures etiam gratiae auxilia interdum recipere, quae ob eorum pervicaciam effectu, quem possent producere, frustrantur? Verum dari singulis infidelibus gratiam, ut

adversarii ajunt, proxime sufficientem, et disponentem ad fidem, eamque adesse singulis momentis, quando legis praeceptum urget; id jure meritoque negamus. Vide Berti *lib.* 18. c. 8. Norisium *in Vindic.* c. III. §. 6. L'Herminier *de gratia* p. 176. de Lemos, Contensonium, Massoulier, Serry, Juenin.

§. CCXI.

Tum parvulis ante baptisma vita functis.

At ostendit clarissime, gratiam omnibus haud conferri, parvulorum sine baptismate decedentium exemplum; eos enim quum voluntatis liberae actu careant, nec gratiam aliquam internam sufficientem recipere, per se apertum est; eamque sola administratio baptismatis salvos eos reddere possit, quotquot regenerationis fonte privantur, gratiam minime recipere, nullus dubitet. Nec ex hac doctrina consequitur, pro iis Christum mortuum non fuisse: quandoquidem Salvator semetipsum pro omnibus redemtionem dedit, et satisfecit Divinae justitiae (§. LII. seq.), atque passione sua instituit liberationis nostrae causam, unde possunt cuncta peccata remitti; at non omnes redemptionis ejus fructum participant (Conc. Trid. *sess.* VI. c. 3.), quod parvulis contingit sine baptismo decedentibus. Hinc ut ait Augustinus, nonnunquam parentibus cupientibus, et festinantibus ministris, parvulo, Deo ob originis culpam nolente, baptismus non datur (*Epist.* 107. ad Vitalem).

Scholion. Parvulos in utero matrum decedentes gratia sufficienti haud esse donatos praeter Augustinianos universos, Thomistae plurimi, immo Vasquesius, et Sfondratus affirmant. Gratiam quandam universalem invehere conatus est Nicolius, cui fortiter obstitere Arnaldus, Duguetius, aliique. Inter Acatholicos Joannes Camero Calvinista, ut Lutheranis adblandiretur, vocationem docuit, et gratiam universalem, quae erga homines cunctos per admiranda Dei opera, per suum verbum, et Sacramenta se manifestaret: hanc Amiraldus et Testardus adversus Moulinaeum, aliosque Calvinistas defenderunt, ejusdemque apologiam Dallaeus concinnavit. Vid. Bossuet *hist. des var. liv.* 14. §. 117. Hanc

etiam propugnant Arminiani, Lutherani plurimi, ut asserit Buddaeus *instit. Theol. dogm.* lib. IV. cap. 1. §. XIX. Schol. immo Alphonsus Turretinus *in disq. de artic. fundam.* cap. IX. partem non exiguam hodiernorum, uti se vocant, Reformatorum cum Lutheranis hac in parte sentire, vel ad eos propius accedere testatur.

§. CCXII.

Quaenam in opere bono partes gratiae, et quae liberi arbitrii?

Rem arduam aggredimur, dum gratiae simul, et liberi arbitrii partes explanandas assumimus. Cavenda praesertim extrema sunt, ne scilicet nimium tribuendo gratiae liberum tollamus arbitrium, aut nimium extollendo libertatem ad Pelagianorum vel Semipelagianorum castra declinemus. Perspicuum est, Dei gratiam id muneris habere, ut intellectum nostrum illustret, ignorantiae tenebras dispellat, dulcedinem inspiret, et suavitatem, faciatque amare quod bonum est (§. CLXI.); ipsam nobis dari ad animi nostri sanandas infirmitates (§. CLIX.), proindeque Deum omnem bonum voluntatis actum praevenire, et in nobis operari; immo ejusdem incoepti operis incrementum dare, et perfectionem (§. CLXII. CLXIII. seq.), atque efficaciam habere a se, non dependentem a nostrae voluntatis consensu (§. CXCI.). At si res ita se habet, quaenam, inquies, sunt liberi arbitrii partes? Quidnam agit? Dicam cum S. Bernardo (*De grat. et lib arb.* c. 1.). *Salvatur . . . Tolle liberum arbitrium, non erit, quod salvetur: opus hoc sine duobus effici non potest, uno, a quo fit, altero, cui, vel in quo fit. Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantum capax; nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium. Quod ergo a solo Deo, et soli datur libero arbitrio, tam absque consensu esse non potest accipientis, quam absque gratia dantis. Et ita gratiae operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, salvatur.* Quamobrem Deus adjutor noster est; adjuvari autem nequit nisi ille, qui aliquid etiam sponte conatur (Augustinus lib. 2. *de pecc. mer.* n. 6.); verum virtutis ipse etiam largitor est; quum et conatus noster bonus, et orationem, qua illum precamur, ex ipsius habeamus dono. Ita-

que opera bona, quia Dei gratia incipiunt, et perficiuntur, sunt Dei munera, quia vero assensu voluntatis nostrae fiunt, nostra sunt merita (*).

Scholion. Oppositos, a quibus praecavendum dixi, errores, conjunxit auctor *articuli gratiae in Encyclopaedia Iverdon.* Arbitratur ille gratiam esse lumen plus, aut minus clarum, et distinctum, quod mentem circa naturam boni moralis illuminat. Ex hoc principio deducit gratiam efficacem in evidentia consistere; alias autem gratiae species dimetiendas esse ex variis luminis gradibus ad ignorantiam usque. Gratia vel exterior est, vel interior; prima est, quae homini lumen per media externa, ut lex est, doctrina, praedicatio Evangelii, communicat: interna ea est, quae spiritum interne tangit per seriam meditationem, aut per ratiocinia quae in principiis sanae moralis fundamentum habent. Has duas gratiae species esse, vel efficaces, si lumen sit evidens, vel sufficientes, si solam affundat probabilitatem. Ex his jam videre est, hujus articuli compilatorem gratiam constituere in sola illustratione, in lege, doctrina, praedicatione Evangelii, seria attentione, et meditatione, quemadmodum Pelagius (§. CLX. CLXI. Schol.). At vero, quum subdat, efficacem gratiam lumen esse ita clarum, quod boni malique moralis evidentiam in nobis producit, atque ex hac evidentia fieri, ut libertas penitus auferatur; immo et voluntas per legem mere mechanicam ad operandum inducatur; palam fit hac in parte praedestinatianorum errores renovasse. Verum etsi non diffitear, homines ita semper operari, ut intellectus cognitio praecedere debeat, quae rationes boni in objecto percipit, ac postea percepti boni amore voluntas ducatur (§. CC.), nihilominus satis non

---

(*) S. Bernardus *de grat. et lib. arb.* c. 14. quo in loco haec habet omnino egregia: *Ipsa gratia liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum: roborat, ut perducat ad actum: servat ne sentiat defectum . . . . non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt, totum quidem hoc et totum illa, sic ut totum in illo, sic totum ex illa. Confer* Augustinum *de grat. et lib. arb.*

est, ut intellectus supernaturalia bona noscat; sed ulterius opus est, ut gratia sanctam delectationem inspiret. Unde Augustinus lib. de *spir. et litt.* cap. 3. ait: *Cum id quod agendum est, caeperit non latere, nisi etiam delectet, et ametur, non agitur, non bene vivitur.* Porro quamvis voluntas, dum coelestis boni delectatione movetur, in illud feratur, tamen id adhuc plena cum indifferentia, et libere agit. Quoniam in ipsis supernis bonis plures adhuc mali licet apparentis rationes apprehendit; nempe quod sint difficilia, ardua, sensuum voluptatibus contraria; quaeque ut adquiramus, magnis laboribus indigemus; nam caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem *ad Gal.* V. hujus mundi illecebrae, et voluptates adhuc alliciunt; inclinans ad malum concupiscentia per gratiam efficacem vincitur quidem, sed non tollitur; cumque voluntas ad malum patrandum se sola sufficiat, patet sub quacunque gratia male operandi potestatem adhuc in nobis adesse: hinc apparet bonum ad quod per efficacem gratiam trahimur, ita nunquam evidenter nostram replere voluntatem, ut necessitate, multo minus quasi lege mechanica, ad illud amplectendum ducamur.

§. CCXIII.

Discrepantia systematis Augustiniani, a Janseniano.

Delectationem relative victricem totius Janseniani systematis basim esse, et fundamentum audacter nimium *Tournellius* pronunciavit. Ecclesia enim quinque *Jansenii* propositiones ad tenebras damnans, fontem ipsum, ipsam radicem reliquisset unquam immunem, si ex ipsa propositiones haereticae necessaria illatione consequerentur? An in ipsa urbe Roma, totoque catholico orbe eam publice propugnari permitteret, si pestiferam doctrinam contineret? Immo S. Congregatio jussit Gezzio, ut quod adversus eam effutierat, scripto retractaret. Jam vero videamus, in quo systema Jansenii sit reponendum. Arbitratus est ille, non solum gratiam in delectatione victrice consistere, pugnam esse inter gratiam, et concupiscentiam; sed delectationem inferre necessitatem: ita ut dominante gratiae delectatione homo spontanee quidem et lubenter, sed necessario agere debeat, actusque oppositus extra ejus

sit potestatem : atque regnante delectatione terrena ita impossibile sit voluntati, ut bene velit (Jansenius lib. 2. *de grat.* c. 1.), *quam homini caeco, ut videat, vel surdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut recte gradiatur, vel avi ut volet sine alis.* (*) At Augustinianorum constans sententia est, quod etsi voluntas, dum agit, bono aliquo alliciatur, et delectetur, nihilominus sub quacunque victrici gratia, atque etiam sub delectatione concupiscentiae retineat semper judicii indifferentiam, et liberum arbitrium. Unde quemadmodum ridendus esset ille, qui vellet Thomistas sapientissimos strenuos liberi arbitrii propugnatores Calvinianis supralapsariis, qui libertatem negant, patrocinari, eo quod utrique admittunt decretum absolutum, causarum secundarum praedeterminationem, et auxilium sua natura efficax, ita etiam spernendi sunt ii, qui ob admissam ab Augustinianis delectationem victricem errores Jansenianorum, quos sincero corde repudiant, ipsis affingunt. Accedit his, Jansenianos nullam admittere internam gratiam, cui vitio arbitrii resistitur, quod Augustinenses falsum erroneumque esse unanimi consensu pronuntiant.

Scholion. In Epistolis, quae sub Clementis XIV. nomine circumferuntur, *epist.* 18. ad *Praelatum Cerati* legimus : *Benedictum XIV. merito Cardinalis Norisii memoriam vindicare* (cujus opera quasi Janseniano errore infecta in indice librorum prohibitorum in Hispania posita fuere), haecque observatione digna habet : *crudele esset aliquem haereticum esse, eo quod Augustinianus est, vel Thomista, ejus scilicet doctrinae, quam Ecclesia solemniter approbavit : sed quando quis a Phanatismo se duci permittit, nec amplius ratiocinatur, nec quidpiam videt.* Il seroit cruel, que on fût heretique parceque on est Augustinien, ou Thomiste, c' est a dire d' un doctrine solemnement approuvée par l' Eglise : mais, quand on est poussè par le Phanatisme on ne raisonne plus, et on ne voit rien.

(*) Hanc esse Jansenii mentem pluribus ostendit Berti *Aug. Syst. Vind. dissert.* IV. c. 1. §. III.

§. CCXIV.

Ex jam stabilita doctrina quinque propositiones Jansenii sunt confutatae.

Jam vero pravam Jansenii doctrinam ab Augustinianae doctrinae sectatoribus vere, et sincere confutatam, et impietatis revictam esse ex iis, quae jam proposuimus, fit manifestum. Docuit Jansenius praecepta aliqua justis secundum praesentes, quas habent, vires esse impossibilia, deesse quoque gratiam, qua eadem servare possint, (§. CLXXXVII. Schol.); at id ipsum sacris litteris contrarium, ac jam a PP. Tridentinis damnatum (§. CCV.) ostendimus. Voluit etiam ille in hoc depravatae naturae statu supernaturalem gratiam, cui resistatur, dari nullam; quod nefarium dogma Scripturarum auctoritate, et Augustini claris testimoniis (§. CCII.) contrivimus. Libertatem indifferentiae eliminavit penitus Jansenius, perperam arbitratus ad meritum vel demeritum sufficere libertatem a coactione. Hinc nos peccare antumavit in iis etiam, quae vitare nequimus, et mereri sub gratia, ineluctabili necessitate nos trahente ad bonum; immo gratiam, cum qua consistit dissentiendi facultas, tamquam Semipelagianorum inventum eliminavit. At enim hac in erronea doctrina totius perversi systematis venenum latere (§. praec.) observavimus. Nos vero in hoc, quo vivimus, statu, ad meritum, et demeritum necessariam esse indifferentiae libertatem, ostendimus; atque hanc sive sub efficaci gratia, sive dominante concupiscentia persistere vidimus (§. CC. seq.). Postremo Christum Dominum universi humani generis causam in se suscepisse, pro omnibus se redemptionem dedisse, pro totius mundi peccatis propitiationem fuisse, mortuumque pro omnibus omnino hominibus, ex iis, quae (§. LVIII.) proposuimus, luce meridiana clarius evincitur. Unde apparet, quanto in errore versatus fuerit Jansenius asserens, Christum pro omnibus sanguinem suum haud fudisse, atque veluti Semipelagianum errorem traducens firmissimam catholicam veritatem. Itaque ex statutis jam principiis nos quinque Jansenii propositiones execrari, et detestari sit manifestum (*).

(*) Vid. Norisium *in calumnia sublata et ad Germanit.* 14. et seq. Philippum van Waure *in suo August. Europaeo*

Scholion. Corollarium. Quas statuimus gratiae, et praedestinationis veritates, in sterili haud debent contemplatione permanere, sed ad virtutis exercitium nos ducere. Quandoquidem eae sunt I. fundamentum *pietatis*. Nam haec, quam graeci Θεοσέβειαν vocant, Dei respicit cultum, qui in hoc maxime, ut Augustinus ait *de spir. et litt.* n. 18. consistit, *ut anima ei non sit ingrata, erit autem ingrata, si, quod illi ex Deo est, sibi tribuerit, praecipueque justitiam.* Unde, cum noscamus, quidquid boni habemus, a Dei largitate descendere; inde veram erga Deum pietatem noscimus, gratumque ei animum exhibere. II. *Orationis*; nam cum sciamus, neminem fieri salvum, nisi quem Deus fieri voluerit; ideo preces ardentes fundere debemus, ut ipse subministret nobis efficacia media, quibus salutem aeternam adipiscamur. Vid. Aug. *Ench. n.* 27. *de dono persev.* n. 53. III. *Humilitatis.* Enimvero compertum habemus primos parentes ex superbia cecidisse; Judaeos etiam suis propriis viribus inflatos legem fuisse transgressos. *At humilitas*, inquit Augustinus *Expos. epist. ad Gal.* n. 25. *revocat, unde nos dejecit superbia. Et ipsa humilias est accommodata percipiendae gratiae Christi, qui singulare humilitatis exemplum est.* IV. *Spei*, quis enim recogitans Deum adeo nostri amantem fuisse, ut ipsum unigenitum Filium suum pro nobis dederit, in ipso veluti omnium donorum largitore spem suam non collocet? Absit autem, ajebat Augustinus *de dono persev.* n. 62. *ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis, qui spem habet in homine; et bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quia beati omnes, qui confidunt in eum.* V. *Salutaris timoris*: Nemo enim debet de se gloriari, quum ex dono Dei habeat, quidquid accepit: Hinc ajebat Apostolus: *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini. Deus enim est, qui operatur in vobis velle, et perficere pro bona voluntate. ad Phil. II.* Vide

---

lib. I. cap. 1. lib. 3. cap. 1. lib. 4. et 5. Maussolier dissert. IV. Berti *August. syst. Vind.* dissert. VI. cap. 2.

Opstraet *Instit. theol. ad Tyrones*, Tamburini *dissert. de summa Catholicae de gratia Christi doctrinae praestantia utilitate ac necessitate*, tum Norisii *hist. Pelag. et vindicias Augustinianas*, Bossuet *defense de la tradition des SS. Peres*, Berti *Theol. et Aug. Syst. vind.* Massoulier, D. Thomas *sui interpres*, Serry *hist. Congreg. de auxiliis*.

CAPUT VI.

De necessitate fidei in Christum.

§. CCXV.

Quae fides.

Fides assensus est, quem ob alienam auctoritatem rei alicui exhibemus; cumque vel ob hominis, vel Dei testimonium et auctoritatem adsentiri queamus, duplex etiam fides est, humana, et divina. De postrema tantum, ut muneris nostri ratio postulat, instituemus sermonem. Est autem *donum ac lumen, quod in hominum mentibus diffundit Deus ut iis, quae revelare placuit firmum assensum praebeant* (*). Hujus fidei basis et fundamentum est Dei verbum; ea enim sola credimus, quae Deus nobis annuntiavit. Ratio vero, et firmissimum fidei motivum ex Dei sapientia et bonitate petitur, unde neque eum decipi, neque nos in errorem inducere posse persuademur. Porro, quae Deus credenda nobis proposuit noscimus ex ministerio Ecclesiae, cui depositum verbi sui custodiendum reliquit. Hinc ajebat Augustinus (*Adv. epist. Fundamenti*, Confer Gregorium Nazian-

---

(*) Apostolus ad Hebraeos II. fidem hisce verbis descripsit: *Est autem fides sperandarum substantia* ὑπόστασις *rerum, argumentum* (ἔλεγχος) *non apparentium*. Vocatur *hypostasis* sive *subsistentia*, quoniam tantam ea in nobis persuasionem producit, ut revelatis ita firmiter credamus, qoasi jam subsisterent: dicitur autem *rerum sperandarum*, eo quod fidei nostrae objectum circa Deum ac res coelestes, quas speramus, versatur. Ne vero quis crederet, haec sola nobis esse credenda, ideo subditur, *argumentum*, elenchos *non apparentium*: id est convictio rerum, quae non apparent; ut scilicet haberemus compertum, non pauca, quae sperare non debemus, certum tamen esse fidei nostrae argumentum, si ea a Deo sint revelata.

mentum. *serm.* 3.): *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.* Jam vero assensus ipse, quem revelatis a Deo rebus ipso opitulante praestamus, fides actualis dicitur; permanens autem in anima nostra affectio, per quam, etiam quando fidei actum non elicimus, fideles vocamur, habitualis fides nuncupatur, quam tamen infidelitate, vel haeresi amittere possumus. Fides insuper tunc *viva* est, quum a caritate perficitur (I. ad Corinth. XIII. 2.), *mortua* vero, quum a caritate, bonisque operibus sejuncta est (Jacobus epist. cap. II. v. 2.). Attamen Scholastici a duodecimo seculo hanc *informem*, aliam *formatam* appellare coeperunt. Dispescitur praeterea fides in *explicitam* et *implicitam*: prima est, qua fidei articulum ita credimus, quemadmodum per verba clare et distincte exprimitur; postrema, qua veritatem non dilucide expositam, sed in alia veluti contentam admittimus; ita Judaei in Verbi incarnationem implicite credere reputabantur.

SCHOLION. Nil magis est, adversus quod debacchentur increduli, quam fides. Voltairius *in dictionario philosophico* art. *fides*, asserit fidem consistere in credendo, non quod judicatur verum, sed quod intellectui videtur falsum. At erronea more suo, immo et contradictoria proponit. Quandoquidem credere idem est, ac judicare verum esse, quod creditur. Credere itaque, quod falsum judicatur, contradictorium est. Rousseavius in *suo Æmilio* tom. 3. p. 139. inquit, Deum dedisse nobis rationis lumen, non in eum finem, ut ejusdem usum nobis interdiceret: unde concludit, injuriam auctori suo facere quotquot dicunt rationem auctoritati esse submittendam. Non eo inficias, Deum rationis lumen, ut nos dirigat, nobis dedisse. Verum unde evincet Rousseavius promisisse Deum sola ratione duce nos ubique clare inspecturos, nec futurum fore, ut ullo unquam alio lumine indigeamus? Renuntiavitne Deus juri suo edocendi, quum ipsi libeat, rationem nostram? Spoponditne, nihil, quod rationi nostrae obscurum sit, nobis proponere? Minime gentium; id enim incredulorum nemo unquam potuit demonstrare. Quid? An non in ipsis naturalibus rebus, ubi solam habemus concessam nobis rationem du-

cem, non pauca sunt, quae admittimus incomprehensibilia, immo quae etiam absurda videntur? D. Hume *Spiritibus fortibus* haud suspectus auctor *essai philosophique sur l'intendement humaine* tom. II. p. 136. asserit, nullum esse in Religione dogma, quod magis adversus communem sensum esse videatur, quam materiae divisibilitas in infinitum, quam tamen Geometrae, et Metaphysici quodam quasi triumpho veluti certam proponunt. Quamobrem secundum philosophos ipsos quaedam sunt in ipsa natura prima fronte incomprehensibilia et absurda, et tamen vera. Quid plura? Nonne nato caeco speculi qualitates essent mysterium? nonne perspectivae proprietates ei contradictoriae viderentur? Quid enim magis ipsi videretur contradictorium, quam quod plana superficies profunditatis sensationem producat? At enim si probis cordatisque viris id testantibus fidem exhiberet, absurdumne esset? Quanto magis id asserendum iis de rebus, quibus ob Dei revelantis auctoritatem credimus! Confer Bergier *Apolog. de la Religion tom. II. ch. XII.* §. 3. *le Deisme refutè par lui meme lettre I.*

§. CCXVI.

Etsi a Parentum nostrorum lapsu nullo non tempore implicita saltem in Christum salvatorem fides ad salutem consequendam necessaria fuit, quemadmodum Apostolus non uno in loco fidem facit (Ad Rom. III. 22. I. ad Corinth. X. Conf. *Augustinum* lib. I. *contra duas ep. Pelag.* cap. 21. et *de nat. et grat.* cap. 44. n. 51.), attamen promulgato jam Evangelio, fides clara et explicita in Christi Domini incarnationem, medium est hominibus ita necessarium, ut absque ejus notitia adultus nemo aeternam vitam obtinere queat. Quandoquidem *non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. IV. 12.), atque opus est, docente Apostolo (Rom. X. 9. seq.), ut confiteamur, Christum Dominum venisse, ac Deum a mortuis eum suscitasse. Quam ob causam aeterna vita iis, qui Evangelio credunt et baptizantur, in sacris litteris promittitur, atque certa in reliquos homines haud **In Christum sit necessaria.**

credentes damnationis sententia fertur (Marci XVI. 15. Joan. III. 18.). Ignorat autem nemo Evangelii promulgationem secum ferre claram et distinctam in Christum Dominum fidem. Hinc etiam advertere facile est, eos omnes hallucinari, qui ad salutem obtinendam unius Dei fidem absque Salvatoris notitia sufficere asserunt; quandoquidem *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. XVII. 3.), quibus in verbis sicut unius veri Dei, ita et sui ipsius notitiam Christus Dominus ad consequendam aeternam felicitatem affirmat esse necessariam.

Scholion. Hujus veritatis persuasi semper fuerunt primitivae Ecclesiae Patres, uti videre est apud Ignatium *Epist. ad Philadel.* Irenaeum *lib.* III. c. 20. Origenem *in Epist. ad Rom.* lib. II. c. 3. Cyprianum *Epist.* 73. Cyrillum Hierosolymitanum *Catech.* V. Hilarium *lib.* III. *de Trin.* Augustinum *Epist.* 157. n. 24. *de nat. et grat.* c. II. n. 7.

§. CCXVII.

Quae alia dogmata ad credendum necessaria?

Sed explicita quoque in SS. Trinitatem fides necessaria prorsus est adultis ad salutem. Nam baptismus, per quem in Ecclesiam ingredimur, ac Christi membra constituimur, in expressa SS. Trinitatis invocatione confertur (Matth. 28.), immo nec fides in Christum explicita haberi potest, quin in Trinitatem credamus. Quandoquidem Incarnationis mysterium id continet, quod Verbum, filius Dei, Spiritus Sancti virtute humanam in tempore carnem assumserit (§. XXV.). Verumtamen praeter Trinitatis et Incarnationis mysteria, atque quod Deus inquirentibus se remunerator sit, quorum si non habeas notionem, salutem consequi minime queas, necessarium insuper est fidelibus, ut decalogi praecepta, Sacramentorum numerum, Ecclesiae auctoritatem, et Apostolorum calleant symbolum; quamvis postremis hisce *necessitate praecepti* tantum, non *medii*, opus habeas ad obtinendam aeternam felicitatem.

Scholion. Duplex a Theologis necessitas statuitur, una, quam dicunt *medii*, altera *praecepti*.

Illa medium adeo necessarium est ad obtinendum finem, ut sine illo finis obtineri nequeat. Ita fides explicita Trinitatis et Incarnationis medium est adultis necessarium ad salutem consequendam. Altera vero ea dicitur, de qua exstat quidem praeceptum, at si illud debita diligentia adhibita ignores, finem tamen obtinere valeas. Nihilominus, etsi sententia haec nostra de necessitate fidei explicitae in Trinitatem et Incarnationem inconcussa est, utpote quae apertissimis Scripturarum et Traditionis documentis constabilitur; nihilominus quoniam aperte ab Ecclesia nondum fuit definita, non defuerunt etiam e Theologis Catholicis, qui ausi sunt id negare. Vid. Arnaldum *de necessitate fidei in Christum Jesum*: *defensionem censurae facultatis Parisiensis in libros PP. le Comte et Gaubien* per Dupinium, et *censuram ejusdem Facultatis, libri, cui titulus Belisarius*.

§. CCXVIII.

Quo fit eos, qui nihil de Evangelio audiverunt haud consequi salutem posse.

Quum absque fide explicita in Christum Dominum et Deum unum, in personis trinum salus aeterna obtineri nequeat (§. praec.), apparet extra salutis viam adinveniri eos omnes, qui nihil de Evangelio audierunt: neque enim conventio esse potest lucis ad tenebras, Christi ad Belial, atque ut ipse Christus ait: *Qui non est mecum contra me est* (Matth. 12. 30.), *et qui non credit in nomine unigeniti Filii Dei jam judicatus est* (Joan. III. 8.). Damus tamen libenter, causam, cur illi damnentur, in eo haud esse reponendam, quod non crediderint, infidelitas enim negativa peccatum non est (§. CCX.), sed quoniam originis peccato obstricti, aliisque propria voluntate patratis inquinati, medium iis defuit, unde ea expiare possent, atque applicare sibi quam Christus humano generi salutem peperit. Quamobrem errant gravissime, qui *spiritus fortes* dici amant, quum Religionem quamlibet Deo acceptam esse dicunt. Enimvero tenetur homo actiones suas non suum ad lubitum, sed ad Creatoris sui voluntatem dirigere, unde Religio omnis, quae vel cum Divinis attributis pugnat, aut non consentit cum sacris libris Divinam revelationem manifestantibus, aut Christum, qui promissus noster liberator, mediator,

et Redemptor est, non agnoscit, vera Deoque grata Religio esse nequit. His addo, quod Deus in suis perfectionibus infinitus, veritatem amare, et quod ipsi opponitur, mendacium, odio habere debet; cumque veritas una sit, una etiam esse debet vera Religio, caeteris falsitatis et mendacii notam praeseferentibus. Itaque qui falsam profitentur Religionem, Deo accepti esse nequeunt, adeoque extra salutis viam sunt positi.

Scholion. Increduli amplissimam omnibus cujuscunque sectae et Religionis viam salutis pandunt: ita Theodorus Lau *medit. philos. de Deo, mundo et homine* c. I. §. 21. Voltairius, aliique. Porro quod Rousseavius ait *Emile* tom. III. *intolerantiae dogma* crudele esse, odium inducere sui proximi, atque intolerantes humani generis hostes esse, perquam fatuum est, et absurdum. Nam *Theologica* intolerantia a *civili* prorsus est secernenda, atque utramque optime distingui posse Ecclesiae primitivae exemplo patet. Nam Christi fideles gentilium errores proscribebant; sed simul quantum ad civilis vitae officia Principibus et Magistratibus obedientiam, reliquis omnibus caritatem, et humanitatem exhibebant. Quamobrem falsum est, intolerantiam Theologicam constituere homines humani generis hostes. Haud ignoro urgere incredulos atque asserere, te non posse non odio habere eos, quos judicaveris perpetuo fore damnandos. Verum ignorantne ii, catholicae Ecclesiae mentem esse, de nullius salute usque dum vivit, fore desperandum, immo pro singulorum conversione fundendas esse ad Deum preces (§. CXLVI. Schol.)? atque non raro contingere infideles ad Deum converti, ac aeternam felicitatem adipisci. Itaque non odio habemus eos, quibus toto cordis affectu, fusisque ad Deum precibus in hac vita sospitatem ac bona cuncta, felicitatem aeternam in altera optamus.

§. CCXIX.

Nec eos qui solos retinent fundamentales articulos

Quamvis fidei articulos nos etiam quosdam statuamus primarios, atque nonnulli ita sint ad credendum necessarii, ut si eorum non habeamus notitiam, salutem consequi nequeamus (§. CCXVI. seq.), nec

velimus Christiano cuilibet opus esse, ut cuncta perspecta habeat dogmata, sed sufficere in non paucis articulis non capitalibus fidem habere implicitam, atque quaecumque tenet et credit magistra veritatis Ecclesia, se tenere et credere paratus sit, nihilominus Acatholicorum plurium reprobamus doctrinam, qui societatibus christianis fundamentales fidei articulos retinentibus, etsi in aliis invicem pugnent, aeternam salutem pollicentur. Commentum illud propugnavit acriter Jurius, ut suis in universali Ecclesia, extra quam salutem consequi haud posse videbat, locum praeberet. Quandoquidem acutus vir observabat, defendi minime posse, quod Lutherus et Calvinus magna confidentia asserebant, Ecclesiam haud esse visibilem, ex solis probis et praedestinatis esse conflatam, quae paradoxa jam (§. CXXV. Schol. et CXXXIII. seq.) refutavimus. Verum ipsemet toto etiam tramite a veritate aberravit. Nam diversae hae Christianorum sectae in multis revelatis ita dissentiunt, ut quod una affirmat, deneget altera; jam vero ex contrariis duabus propositionibus, una vera, falsa altera sit, oportet. Porro qui falsae propositioni assentitur, ille in re ad fidem spectante errat. Quo fit ut ex principiis eorum, qui asserunt, solos esse ad salutem necessarios articulos fundamentales, etsi in reliquis dissensus sit, consequatur, parem rationem esse, veritati aut falsitati adhaerere. At enim quis ignoret, in omnibus, sed in rebus praecipue ad fidem pertinentibus ex divino praecepto nos teneri ad consectandam veritatem? Porro qui mandata non servat, vitam aeternam non possidebit (Matth. XIX. 17.).

Scholion. In statuendis fundamentalibus articulis mira est inter Acatholicos ipsos dissensio. Jurius in libro le *vrai systeme de l' eglise* existimare videtur eos in Ecclesia statuendos esse, qui Trinitatem admittunt, et Incarnationem. Buddaeus *inst. Theol. dogm. lib.* I. c. 1. §. 33. praeter Incarnationis et Trinitatis mysteria inter articulos fundamentales recenset, Deum velle omnium salutem, Christi satisfactionem, nostram coram Deo justificationem, fidem, poenitentiam, vitam aeternam. Verum alii sunt, qui contendunt eos omnes salvari, qui cre-

dunt unius Dei existentiam, et Christum esse Messiam; etsi de ejus Divinitate male sentiant, uti Clericus *dissert. de eligenda inter dissidentes christianos sententia*, Jo. Lockius *in Christianismo rationi consono*. Inter recentiores Semlerus *inst. ad doctor. Christ.* lib. I. c. II. §. 78. articulos fundamentales eos esse ait, qui baptismi formula et symbolo Apostolico continentur; sed §. 79. vult articulos fundamentales Ecclesiarum particularium sejungendos esse ab iis, qui totius Christianae familiae proprii sunt; immo addit cum fundamentum Christianismi practici et salubris non omnino abjiciant Sociniani, Ariani novi, nec iis deesse salutis viam. Calviniani plurimi ut inquit Stapferus tom. 4. §. 54. Schol. ad solos reformatos, ut ait, et Augustanae confessioni addictos tolerantiam extendunt. Verum Acatholicorum alii haud errare in articulis fundamentalibus existimant praeter Calvinianos et Protestantes etiam Remonstrantes, et Anabaptistas, qui a Socinianismo sunt alieni. At Fanatici prae Acatholicis ceteris amplissimam omnibus pandunt salutis viam; ii enim internum lumen, quod divinum et omnis Religionis principium judicant, admittunt; unde inter unam Catholicam Ecclesiam comprehendunt omnis rationis et linguae homines, immo et catholicae Ecclesiae membra esse dicunt, qui inter Gentiles, Turcas, Judaeos, et ex omnibus Christianorum sectis homines sunt bonae integritatis, et simplicitatis cordis. Ita Robertus Barclajus *Apol. Theol. verae Christianae* p. 173. Vid. Wallemburgicos de articulis necessariis tom. I. controv.

§. CCXX.

Quod ulterius demonstratur.

Ecclesia coetus est fidelium sub pastoribus legitimis et praesertim Pontifice Romano eadem fide, et Sacramentorum communione colligatus (CXXV.), a quo exclusi penitus sunt publici Haeretici et Schismatici (§. CXXXV. seq.). Jam vero Ecclesia uti haereticos habuit, et ex sua communione semovit non eos tantum, qui fundamentales fidei articulos convellerent, verum etiam omnes illos, qui unumquemque fidei articulum non admitterent, uti erant Donatistae, Novatiani, Quartodecimani, Monothelitae. At vero qui Ecclesiam non audit, veluti Eth-

nicus habendus est et publicanus (Math. XVII. 17.), alienus nempe a societate, quam instituit Christus, proindeque in Ecclesia universali locum habere nequit. Quid? quod Ecclesiae Patres sanctissimi haereticorum coetus, ut Satanae Synagogam semper sunt detestati: at quis existimet eos omnes, ceterosque Ecclesiae Doctores ad Jurium usque Christi haud intellexisse doctrinam? Immo si rem bene perpendas, fatearis oportet, consonam prorsus tradidisse. Enimvero quis nesciat, Samaritas Pentateuchum, qui Moysis legem complectebatur, admisisse; unde si fundamentales articulos retinere, sat est, salutem ipsis denegare posset nemo; verum Christus ipse mulieri Samaritanae respondit, salutem ex Judaeis esse (Joan. IV. 22.). Accedit his, Salvatorem dixisse, quod *omne regnum in se divisum desolabitur* (Lucae XI. 17.). At enim quis credat, eum Ecclesiam suam instituendo, tale voluisse sibi efformare regnum? Efformasset autem, si ex variis dissidentibusque sectis Ecclesiam suam voluisset conflatam. Quid plura? Sicut unum baptisma, ita una fides est (Ad Eph. IV.). Itaque sicuti diversum baptisma habere non potest Ecclesia, ita nec diversam fidem.

Scholion. Praecipua Jurii argumenta jam praeoccupata sunt, et soluta I. parte §. CXXVI. Conf. Bossuet *hist. des var. liv.* XIV. n. 17. VI. *avertis. aux Protestans.* Nicole *oeuvres des controverses tom. V.* Dupin *traitè de la doctrine chret.* ch. XIX.

§. CCXXI.

Fidem exterius profiteri necessarium est.

Impiam, blasphemam, detestabilem habuit semper catholica Ecclesia eorum doctrinam, qui ad salutem obtinendam judicabant fidem corde retinere necessarium esse, ac eam oretenus denegari posse autumabant (*). Immo scelere maximo inquinatos ma-

(*) Hujus impii erroris adsertores erant Elcesaitae, de quibus Eusebius *lib. VI. hist.* c. 38. Priscillianistae Augustino teste *haer.* 70. et lib. *contra Mendacium*, tum Georgius David. saec. 16. His accensere possumus Libertinos eos, qui Pockesium, Ruffum et Quintinum sequeban-

ximò inquinatos existimavit, gravissimaeque ac diuturnae poenitentiae subdidit illos, qui persequutione vigente libellos a Magistratibus redimebant pecunia, in quibus sacrificasse idolis, etsi tantum facinus haud perpetrassent, fidem faciebant. Quae Ecclesiae consuetudo sacrorum librorum praeceptis stabilita invenitur. Quandoquidem ut Paulus ait (Ad Rom. X. 10.): *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; et ipse Salvator inquit: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in coelis est* (Matth. X. 32.). In sole tenebras quaerat, oportet, quisquis externam fidei professionem ad salutem necessariam esse non videt.

§. CCXXII.

Non licet falsam Religionem simulare. At enim non solum fidem exterius denegare impium est, verum etiam ad occultandam veram Religionem simulare falsam, grave scelus est, aeternoque dignum supplicio. Id vidit celeber ille Eleazarus Spiritus sancti praeconio commendatus (II. Machab. VI.), qui hortantibus perversis amicis, ut carnibus lege prohibitis vesci simularet, haud dignum esse aetati suae fingere respondit, aureamque hanc sententiam addidit: *Nam etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar; sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.* Quibus se persuasum esse declaravit, in supremi Numinis iram incidere, quisquis falsam Religionem simulat. Perspicua sunt in rem nostram Christi Domini verba (Lucae IX. 26.): *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*: at, qui falsam simulat religionem, palam confiteri Christum, procul dubio erubescit. Claris hisce Scripturae oraculis edocti SS. Patres veritatem hanc crediderunt semper,

---

tur Duces: hi enim bonarum et malarum actionum rejicientes discrimen, homines proprie peccare non posse autumabant, et Religionem omnem in Spiritus cum Deo conjunctione consistere asserebant.

aliisque insinuarunt. Inter plures videri possunt Irenaeus (Lib. I. C. I.), Tertullianus (*de Idololatria*), Cyprianus (*de lapsis*), Ambrosius (Lib. X. in Lucam), Augustinus (*contra mendacium* c. XI.).

Scholion. Halluciuantur profecto, qui existimant, Apostolos legis Mosaicae abrogatos ritus simulate servasse. Nam etsi post Salvatoris mortem ii amplius non obstringerent; attamen eos adhuc per aliquod tempus observare licitum erat; tum, ne viderentur Apostoli a Mosaica lege veluti a re mala abhorrere, tum ut Synagoga honorifice, veluti cum parentibus vita functis facere solent filii, deferretur ad tumulum. Nec majus praesidium Adversarii invenient in verbis Pauli ad *Gal.* II. 13. *Et simulationi ejus* (Petri) *consenserunt caeteri Judaei*, ita ut et *Barnabas duceretur ab iis in illam simulationem*. Quandoquidem subductio Petri a mensa Gentilium simulatio vocata fuit, non quasi id simulate ficteque fecisset; sed gentilium causa, qui perperam judicabant, ideo Judaeos ab ipsis segregari, quoniam illorum ritus ad salutem erant adhuc necessarii.

§. CCXXIII.

Nec Naamani factum aliud ostendit.

Qui falsam Religionem simulare, ut occultetur vera, licitum judicant, in Naamani facto magnum sibi praesidium invenisse gloriantur. Singulari enim ille beneficio Dei mundatus a lepra, idolorum cultum penitus abdicare velle professus est. Verumtamen sui officii memor Prophetam exorabat, ut veniam ipsi ad Deo impetraret. En causam: *Quando ingredietur, ait, Dominus meus templum Remnon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remnon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo. Qui dixit ei, Vade in pace* (Lib. IV. Regum c. V.). Quibus verbis simulationem Religionis falsae approbare visus est Propheta. Attamen si omnia recte ponderes, non Religionis falsae simulationem, sed exhibitum Regi cultum civilem ab Elisaeo approbatum videbis. Enimvero Naaman se unicum verum Deum colere velle publice praedicabat, atque

in praeclarum fidei suae testimonium terram ex Israel, in qua Deum coleret, secum adsportabat. Omnes itaque noscere facile poterant, Naamanum falsam haud simulare, ut veram occultaret Religionem; cumque alibi etiam vi demandati sibi civilis muneris Rege se incurvante semetipsum quoque inclinaret; cur id in templo Remnon ministerii sui civilis causa praestare non potuerit, sane non video. Quod enim aliis in locis licite, in templo etiam absque culpa exhibere poterat.

Scholion. Non pauci Acatholicorum juxta fontem Hebraeum Naamani verba ita explananda contendunt, ut de eo quod praeteritis temporibus gesserat, veniam petierit, non de eo, quod facturus esset in posterum: unde legendum ajunt: *Cum ingressus fuit, et innixus fuit: et ego me incurvavi.* Qua de re ex Catholicis consulendus est Calmetus *dissert. in hunc locum*, ex heterodoxis Werenfelsius *dissert. de Naamano Syro ab hypocrisi vindicato*; quamquam iste communem sequitur interpretationem. Ingeniosa etiam est interpretatio Danielis Concina *dissert.* 9. *de scandalo* c. 7., qui inquit, timuisse Naamanum, ne cogeretur imposterum Rege suo idolum adorante, se cum ipso in templo prosternere, Elisaeum autem Divino afflatum spiritu respondisse: *Vade in pace*: quasi diceret; ne paveas, Rex enim tuus, cum adorabit in templo, opera tua amplius non utetur.

§. CCXXIV.

Ritus Sinenses sunt superstitiosi. Quamobrem Sinenses ritus, qui cum avitae superstitionis, ac falsae Religionis simulatione conjuncti sunt, omnino repudiandos fore, dubium non est. Atque hanc ob causam S. Congregatio *de propaganda fide* anno 1645. reprobavit, ac Innocentius X. sub excommunicationis poena vetuit. Haud ignoro, ob non satis exactam earundem consuetudinum expositionem a quibusdam Missionariis factam S. Inquisitionis congregationem, cui causa iterato examinanda demandata fuerat, quasdam ut civiles, et politicas permitti posse, alias existimasse tolerandas; quam sententiam habuit ratam an. 1656. Alexander VII. At Missionarii caeteri rem denuo ad S.

Inquisitionis tribunal detulere, quod in suo robore adhuc permanere decretum sub Innocentio latum declaravit, idque sua auctoritate munivit Clemens IX. Ad haec: Carolus Maigrot in Provincia Fokiensi Vicarius Apostolicus hosce ritus propriis oculis videns et diligenter perpendens, eos uti superstitiosos an. 1693. damnavit. Verumtamen dissidiorum nondum finis: data Romae plena fuit utrique parti facti exponendi facultas, et post accuratissimam rei discussionem Clemens XI. Sinenses ritus superstitiosos esse declaravit, quin immo Thomae de Tournon Patriarchae Antiocheno, atque in Sinarum imperio Visitatori Apostolico jussit, ut decretum suum a Missionariis omnibus sancte observari mandaret. Id non absque ingentibus calamitatibus praestitit vir eximius: at tergiversabantur adhuc, qui primo licitos esse ritus illos asserebant. Re ad Clementem delata, Constitutionem edidit, qua Visitationis statuta solemniter confirmavit, atque ab omnibus custodienda praecepit. At novae non parendi excogitatae viae: laudatam Clementis Constitutionem praecepti tantum, non legis Ecclesiasticae vim habere dicebant, addebantque Mediobarbum Alexandrinum Patriarcham in Sinis Apostolicum Visitatorem nonnullos ritus ipsis permisisse. Sed rem confecit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. qui data Bulla *Ex quo singulari* permissiones a Mediobarbo datas a Sede Apostolica numquam fuisse approbatas affirmat; adeoque habendas esse, uti si nunquam datae fuissent, earum consuetudinum praxim superstitiosam esse et execrandam declarat; immo jubet, ut Missionarii omnes juramento obstringantur ad exactam Constitutionis Clementis XI. observantiam.

Scholion. Mos Sinensium est, Confucio celebri Philosopho erigere templa, ac utroque anni aequinoctio in ejus honorem offerre suis, et caprae sacrificium; nec non vini, candelarum, florum, Tymiamatis celebrare oblationem. Consuescunt etiam parentibus sacras aedes erigere, iisque offerre statis temporibus sacrificia; habent non minus tabellas mortuorum nomine inscriptas, quas sedem aut thronum animarum nuncupant, tum alias in templis

cum hac inscriptione locatas: *Coelum colito*. Quos ritus recenter conversis quidam Missionarii judicabant licitos, hosque ipsos Romani Pontifices uti superstitiosos merito damnarunt.

§. CCXXV.

Item Malabarici. Judicium idem de ritibus Malabaricis ferendum est, quos Tournonius primum Pudicherii an. 1704. proscripsit, damnavitque, cujus decretum re mature librata an. 1706. ab omnibus servandum mandavit Clemens XI. At qui Malabaricos ritus probabant, Clementem suum revocasse decretum, immo nonnullos ex iis adprobasse, sparserunt in vulgus. Cui inani falsoque rumori, ut obviam iret summus Pontifex, authenticum decreti sui exemplar Episcopo Meliapurensi transmitti jussit; Benedictus quoque XIII. an. 1727. Tournonii statuta confirmavit. Nihilominus, qui pro caeremoniis illis decertabant, nec tunc acquieverunt, sed Clementem XII. ut causa iterato discuteretur, rogarunt. Acquievit petitionibus Pontifex Maximus, adhibitisque nonnullis declarationibus, Tournonii decretum in robore suo permanere voluit. Verum praeconceptas erroneas opiniones suas abdicare quidam Missionarii adhuc renuebant. Quamobrem Clemens XII. datis in forma Brevis Apostolicis litteris decretum confirmavit, atque ad illud observandum jurejurando Missionarios adegit, qui una cum Episcopis omnibus sancte laudatum decretum servaturos spoponderunt. Ad hanc etiam finiendam controversiam ultimas manus apposuit Benedictus XIV. in Bulla *Omnium sollicitudinem*, eo quod se cum magno dolore audivisse testatur, ex Missionariis nonnullos esse, qui nulla habita ratione interdicti a Cardinale Tournonio lati, amplissimeque a Clemente XII. confirmati superstitios illos ritus adhuc vigere permittant.

Scholion. Statuit Tournonius in infantum baptismo adhibenda esse Sacramentalia, et praesertim salivam, salem, insufflationem. Ad aliquod tamen tempus Sacramentalia haec praetermitti posse quibusdam Missionariis Romani Pontifices permisere. Decrevit insuper matrimonia ante aetatem legitimam haud esse celebranda, neve nuptae mulieres Pillayaris idoli

imaginem funiculo ex centum et octo filis contexto, coccoque delinito suspensam collo deferrent; superstitiosas ceremonias nuptiales vetuit, ut ramos arboris *Arie scomara*, fractio fructus *cocco* ad accipienda auspicia, nonnullaque puellarum christianarum pudori omnino contraria. Inhibuit, ne cineres ex vaccae stercore benedicantur, frontique a Christianis impingantur. Voluit Christianis musicae peritis artem suam in Idolorum templis haud esse exercendam. Jussit Missionariis, ut infimae conditionis homines in suis infirmitatibus visitarent, iisque in domibus propriis sacramenta ministrarent, aliaque, quae brevitatis causa silentio praetereo. Innumeri propemodum sunt, qui de his ritibus scripsere, plures recensent Mamachius tom. 2. *Orig. et antiqu. Christian.* ac Walchius Bibl. Theol. tom. 2.

SECTIO II.

DE

SACRAMENTIS.

Connexio. **D**eus natura sua optimus, et beneficentissimus, non tantum ad Evangelium homines vocat, caelesti gratia illustrat, ac voluntatem nostram ad bonum inclinat, movetque; verum etiam aliis adhuc nos voluit munitos praesidiis, quibus uberrima Christi merita applicarentur nobis, partamque ab ipso salutem reapse adipisceremur. Adjumenta haec praestantissima Sacramentorum nomine a Theologis nuncupari solent.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

§. CCXXVI.

Quid Sacramentum sit. **R**ecte monet Tullis omnem, quae a ratione suscipitur, de aliqua re institutionem, debere a definitione proficisci, ut percipiatur id, de quo sermonem instituimus. Quod a nobis etiam dicturis de novae legis Sacramentis praestandum est. Itaque Sacramentum *res est subjecta sensibus, quae ex Dei institutione sanctitatis, et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet* (*Catechismus Rom.* 2. p. c. 1. n. XI.). Ex his datur intelligi, Sacramentum esse sensibile signum, quod in rei alterius, et quidem sacrae cognitionem nos ducit; nam Augustino docente (Epist. 138. *ad Marcellinum* n. 7.): *Signa, cum ad res Divinas pertinent, Sacramenta appellantur*; aliquam etiam cum re significata analogiam habere debent: *Si enim quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacra-*

menta sunt, non haberent, omnia Sacramenta non essent (Augustinus *Epist.* 98. *ad Bonifacium* n. 9.). Res haec sensibus subjecta habere debet divinam institutionem; quo Sacramentum a signis ex hominum placito institutis secernimus. *Vim* insuper habet *sanctitatis*, *et justitiae tum significandae*, *tum efficiendae*. Unde percipimus, finem, cur Deus Sacramenta instituerit, esse animae nostrae sanctificationem, atque latum, quod inter veteris, novaeque legis Sacramenta intercedit, discrimen innuimus. Illa enim, cum infirma essent, et egena elementa (Paulus ad Gal. IV. 9.), justitiam, et sanctitatem significare poterant, non autem conferre. Verum, ut Sacramentorum naturam percipias facilius, ea ex partibus quibusdam constare prae mente habeas. Sunt autem: *res*, sive *elementum* sensibile: *verba*, quibus sensibile signum omnipotentis Dei voluntate, ac virtute ad gratiam in nobis producendam elevatur; et persona ministri, cui Deus sacramentorum suorum dispensationem concredidit.

Scholion. Sacramenti nomen a supino *sacratum* originem suam ducere judico; atque sicuti a *juratum* est *juramentum*, ita a *sacratum sacramentum*. Vid. Vossium in *Etym. latin. linguae*. Hinc vetusti, iique gentiles scriptores Sacramentum vocabant, Varrone auctore lib. IV. pecuniam in loco sacro a litigantibus ea conditione depositam, ut qui causa caderet, eam aerario relinquere teneretur; tum juramentum numinis alicujus invocatione peractum, et praesertim jusjurandum militare. Confer Vegetium lib. II. *de re militari* cap. 5. In sacris autem libris Sacramentum pro eo interdum sumitur, quod graeci μυστήριον vocant, rem nempe arcanam, et clausam, uti *Tobiae* XII. 7.; saepius pro re arcana, et simul sacra, ad Eph. I. 9. III. 9.; saepissime vero pro re arcana, sacra, et symbolica.

§. CCXXVII.

Baptisma vox graeca est a βάπτω intingo, mergo, lavo, origenem suam ducens. Unde Baptismus non solam innuit immersionem, sed ablutionem etiam lavandique actionem; ac verbum, hoc postremo sen- **Quid Baptismus.**

su ab Aristophane, ut Suidas refert, acceptum fuit. Hanc autem depromptam ex ipsis sacris litteris (Joan. III. 5. ad Eph. V. 26.) definitionem damus: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitae. Sacramentum* dicitur, quoniam baptisma res sacra est sensibus subjecta, et symbolica: *regenerationis*, eo quod nos, qui filii irae nascebamur, hujus Sacramenti virtute in Christo regeneramur, filii Dei, ac haeredes regni coelestis constituimur. *Per aquam in verbo vitae*, quibus partes baptismum constituentes designamus: nam eae sunt aquae ablutio, et verba a Christo instituta, quorum pronuntiatione aqua mundandi, et regenerandi efficaciam sortitur suam. Multis nominibus Sacramentum hoc appellatum novimus: *Sacramentum* nempe *fidei* ab Augustino (Epist. 68. *ad Bonif.*); *Sacramentum illuminationis* (Ad Hebr. II. 32.); tum *janua Sacramentorum*, *lavacrum regenerationis*, *et renovationis*, *circumcisio spiritalis*, *nativitas secunda*, *spiritale lavacrum.*

Scholion. Hallucinatus itaque est auctor *Dictionarii Philosophici* art. *Baptismus*, cum baptisma solam immersionem significare contendit. Porro, quod addit, cum multae nationes in usu habuerint hasce ablutiones, compertum esse, homines existimasse id, quod lavat corpus, etiam mundare animas, nec veritati consonum est; nam judicarunt quidem homines ablutionem corporis, puri, castique animi symbolum esse. Verum, quod absque peculiari Dei voluntate animum ipsum emundare valeat, numquam sunt arbitrati. Quum autem dicit, quindecim primos Hierosolymitanos Episcopos circumcisos fuisse, at eos baptizatos fuisse minime certum esse, more suo errat: enimvero scio quidem ex Eusebio *hist. Eccles.* lib. IV. c. V. priscos illos Hierosolymae Episcopos Hebraeos origine fuisse et circumcisos; verum iimet *fidem Christi sincere atque ex animo* susceperant. Peregrinus autem in sacris libris sit, oportet, quisquis ignorat, Judaeos ad Christum conversos baptizari debuisse. Vid. *Act. Apostolorum* c. II. 38. et 41. Verum Philosophum adhuc opponentem patienter audiamus. *Postulatum fuit*, inquit, *a Cypriano Episcopo Carthaginensi, an censendi es-*

sent vere baptizati, qui aqua tantum perfusi fuerunt. Qui respondit in Epistola 76. plures Ecclesias credere, hosce perfusos haud esse Christianos:, se autem existimare Christianos esse, sed quod illi gratiam infinite minorem habeant iis, qui juxta morem immersione baptizati fuerunt. At fidem ejus appello. Cyprianus ait: *quidam;* ipse vero textum depravans scribit, *plures Ecclesias.* Quantum ad aliam argumenti partem, audiamus S. Doctorem, qui auctorem hunc falsitatis aperte convincit. *An consequuti sunt* (perfusi) *quidem gratiam Dominicam, sed breviore, et minore mensura muneris Divini, ac Spiritus sancti, ut habeantur quidem Christiani, sed non sint tamen caeteris adaequandi? Quin immo Spiritus sanctus non ad mensuram datur, sed super credentes totus infunditur. Nam si dies omnibus aequaliter nascitur, et si sol super omnes pari, et aequali luce diffunditur, quanto magis Christus sol, et dies verus in Ecclesia sua lumen vitae aeternae pari aequalitate largitur?* Edit. Par. 1726. p. 156. et seq. Videant Voltairii admiratores, quantam promereatur fidem! Conf. Bergier *Apol. de la Religion* tom. I. ch. IX.

Baptismi nomen figurate nonnumquam accipitur: ad designandam videlicet peccatorum remissionem, et Spiritus sancti dona Matth. III. 11. ad calamitates significandas et afflictiones, quae gurgitibus aquarum comparantur Ps. LXVIII. pro ipsa sanguinis effusione Marci X. 38. Solent Theologi triplicem distinguere baptismum, *fluminis, flaminis, et sanguinis;* nihilominus, si proprie loqui velimus, unus est aquae baptismus. Votum vero baptismi et Martyrium baptismi nomine insigniuntur, quoniam urgente necessitate votum baptismi in adulto, atque martyrium in omnibus, aquae baptismum supplere valent.

§. CCXXVIII.

Heterodoxorum definitiones rejiciuntur.

Sociniani, quemadmodum catechesis Racoviana docet (*De Proph. Christi officio* cap. IV.), inquiunt, baptisma ritum esse externum, quo homines sive gentiles, sive Judaei ad christianam Religionem accedentes manifeste profitebantur Christum pro Domino suo agnoscere; unde concludunt nullum amplius extare

de baptismo suscipiendo praeceptum. Nec multum ab his abludit e Remonstrantium secta Episcopius, ajens, baptismum esse publicum Christianae professionis signum, et tesseram. At gravissime falluntur. Quandoquidem baptismus non sola externa est Christiani nominis professio, sed illius causa in Christi Ecclesiam ingredimur (*Act. II. 41.*), peccatorum remissionem consequimur (*Ad Titum III. 5.*), aeternamque adipiscimur felicitatem (*Marci XVI. 16.*). Praeceptum ejusdem habemus universale, singulosque obstringit homines (*Matth. XXVIII. 19*), cuncta complectitur loca (*Marci XVI. 15.*), omnia tempora (*Matth. XXVIII. 20.*). Melanchton contendit, baptisma esse signum, *quo Deus nobiscum agit, recipitque in gratiam.* Nihilominus, cum regenerandi vim baptismo non tribuat; atque habeamus compertum, modo non uno Deum nobiscum agere, ut in gratiam recipiat, hanc etiam merito rejicimus definitionem. Nec meliorem viam Calvinus aggressus est, asserens baptismum esse signum imitationis, quo in Ecclesiae cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur. Quandoquidem cum de peccatorum remissione, nostraque regeneratione alte sileat, eum hallucinatum fuisse dubio caret.

Scholion. Calvinistae vim tantum obsignandi gratiae promissionem baptismo tribuentes, plurimum inter se dissentiunt, an eandem in omnium Christianorum infantibus obsignet, an in solis electis. Divisas Calvinistarum sententias recenset Buddaeus *Inst. Teol. Dogm.* lib. V. c. I. §. 7.

§. CCXXIX.

Baptismi institutio. Christum Dominum Sacramenti baptismatis institutorem esse, tot Scripturarum testimoniis manifestum est, ut in dubium revocari nequeat. Verum, si de institutionis tempore sermo habeatur, res est non admodum perspicua. Arbitrantur non pauci Salvatorem Sacramentum hoc post resurrectionem suam instituisse, quum Apostolis dixit (*Matth.* XXVIII. *19.*): *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Attamen videtur vero similius, jam ante passionem

suam instituisse baptisma. Enimvero apud Joannem (*Joan.* III. 22.), Christum baptizasse legimus, quamquam id discipulorum suorum ministerio fecerit (*Joan.* IV. 2.). Quae exponens Magnus Augustinus (*Tract.* V. *in Joan.* n. 18.) inquit: *Quamquam ipse non baptizaret, sed discipuli ejus: ipse et non ipse: ipse potestate, illi ministerio; servitutem ad baptizandum illi admovebant, potestas baptizandi in Christo permanebat.* Unde manifeste apparet, Apostolos non Joannis, sed Christi baptisma contulisse. Lex Salvatoris de baptismo suscipiendo Judaeos a Pentecostes die, Gentiles post sufficientem Evangelii promulgationem obstrinxit.

Scholion. Non est, cur increduli multam operam ponant in iis monumentis colligendis, unde evincitur ablutiones sacras apud omnes ferme nationes invaluisse; id enim libenter damus. At sequiturne Christum Dominum hujus Sacramenti non esse institutorem? Minime gentium: Siquidem baptisma, non in aqua tantum, sed etiam in SS. Trinitatis invocatione consistit, cujus virtute fit, ut aquae elementum consecretur, atque ad effectum supernaturalem producendum divina virtute elevetur. Hinc merito ajebat Augustinus tract. XV. *in Joan. Tolle aquam, non est baptismus, tolle verbum, non est baptismus.*

§. CCXXX.

Ejusdem necessitas.

Quod Sacramentum non solum adultis omnibus praecepit (*Matth.* XXVIII. *Mar.* XVI.), verumetiam medium singulis ita necessarium esse jussit, ut absque eo, aut ejusdem saltem voto aeternam salutem consequatur nemo. Quandoquidem apud Joannem (Joan. III. 5 et 6.) legimus Christum dixisse: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum caelorum: quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Unde percipimus, quod sicuti vitam ille non habet corporis, qui ex carne natus haud est; ita nec vitam obtinere spiritalem queat, qui ex aqua, et spiritu renatus non est. Hinc ad baptismi ostendendam necessitatem eodem Joannis loco usi sunt praeclarissimi Ecclesiae Patres Justinus

(Apol. II.) , Tertullianus (Lib. *de Baptismo*) , Chrysostomus (In cap. III. Joan.) , Ambrosius (Lib. II. *de Abraham*) , Augustinus (Lib. III. *de pec. mer.* n. 8.). Eandemque agnovit, agnoscitque veritatem Ecclesia non tantum Latina , sed etiam Graeca et Orientalis (Vid. Renaudotium tom. V. *perp. fidei* lib. II. c. I. et II.). In errore autem versantur Calviniani asserentes , fidelium filios ante adeptam baptismi gratiam jam sanctos esse ; ac perperam interpretantur Paulum (I. ad Corinth. VII. 14.) , qui natos a Parentibus Christianis sanctos tantum vocat in spe et designatione , quemadmodum sanctum nuncupat infidelem maritum , ob mulieris fidelis consortium. Caeterum idem gentium Doctor omnes omnino nasci irae filios diserte tradit (Ad Eph. II. 3) : atque Ecclesia in precibus suis a parentibus fidelibus genitos ante baptisma sub daemonis potestate esse noscit (*Pro Ecclesia Graeca vide Goarium* p. 339. 371.).

Scholion. Quid medii, et praecepti necessitas sit, jam (CCXVII. Schol.) expositum est. Hoc unum observatione dignum arbitror: aliud esse medium necessarium absolute , aliud hypothetice. Primum est medium ad salutem assequendam divinitus ordinatum , ut sine illo finis nulla ratione obtineri queat , etiamsi eo absque culpa , quis careat. Gratia sanctificans , et peccatorum remissio media adeo sunt necessaria , ut illis si careas , spes salutis affulgere tibi possit nulla. Aliud est medium secundum legem ordinariam a Deo constitutum : ut absque illo vel in re , vel in aequivalenti habito , salus obtineri nequeat , quamvis inculpate quis illud non habeat. Qua ratione baptisma ita est necessarium , ut absque illo , in re , vel in aequivalenti , ardenti scilicet ejusdem voto , aut martyrio vitam aeternam haud obtineamus.

Ex vetustis haereticis baptismi necessitatem denegarunt Cajani , nonnulli Gnostici , et Manichaei. Christianorum filiis absque baptismatis Sacramento regnum caelorum attribuerunt , Wicleffus , ut narrat Thomas Waldensis , Zwinglius *lib. de vera et falsa Religione* , tum Calviniani , quibus accessit Semlerus lib. IV. c. 3. pag. 619. Sociniani vero nullam vel me-

dii, vel praecepti necessitatem agnoscunt; immo Quackeri, Moshemio teste saec. XVII. sect. II. p. II. c. 4. §. X. nec sacro fonte suos lustrare dignantur, ajentes: baptisma institutum esse mere Judaicum.

§. CCXXXI.

Socinianis se jungunt Calvinistae, ut firmum, quod ex Joannis capite tertio argumentum deprompsimus, nobis eripiant. Asserunt I. verba haec: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, metaphorice esse exponenda, quemadmodum hoc aliud ejusdem Joannis testimonium: *Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina fluent de ventre ejus aquae vivae* (cap. VII. 38.), quod allegoricam indubie explanationem habere debet. II. Nec officit, ajunt, quod spiritus mentio fiat, et aquae jungatur, nam particula *et* non raro expositivae tantum vices gerit. Ita Joannes Baptista de Christo loquens ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igne* (Matth. III. 11.), nempe sensus est: *Vos baptizabit igne sancto, et spirituali*; quapropter verba *ex aqua, et Spiritu sancto* idem sonant, ac si dictum fuisset, nisi quis renatus fuerit ex aqua spirituali. III. Cum Christus dixisset Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit*, reposuit ille: *Quomodo possunt haec fieri?* quam ob causam a Salvatore reprehensus fuit: *Tu es magister in Israel, et haec ignoras?* At vero si de aqua naturali sermonem instituisset, immerito Nicodemum reprehendisset: Quomodo enim solo rationis lumine percipere potuisset, aquam vim habere regenerandi? Itaque cum verba Joannis 3. de aquae baptismo Christus minime protulerit, perperam pro hujus adstruenda necessitate allata sunt.

Adversariorum argumenta.

§. CCXXXII.

Verumtamen inanem ii ludunt operam. Quandoquidem in sacris libris compertum est, voluisse Christum in Jordanis aqua baptizari, atque super eum in columbae specie apparuisse Spiritum Sanctum; quae ideo facta sunt, ut designaretur, Christi baptisma in aqua, et efficacia sancti Spiritus fore instituendum. Hinc cum legimus Salvatorem dixisse: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto*,

Resolvuntur.

ex cognatis Scripturae locis in sensu proprio verba haec esse accipienda edocemur. At vero, cum apud eumdem Evangelistam de fideli dicitur : *Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*, metaphoricus sensus in omnium oculos incurrit. Veniamus jam ad alteram difficultatem. Etsi particula *et* nonnumquam expositivae vim habeat, tamen natura sua copulativa est, ac duo separata conjungit; quam vim in laudato Joannis loco habere satis est jam demonstratum. Falluntur autem, quotquot ajunt, verba haec : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto*, *et igne* (*) hunc redolere sensum; ipse vos baptizabit igne sancto, et spiritali : neque enim Spiritus sancti nomine ignis intelligi potest, quum potius ignis Spiritus sancti signum, et symbolum sit : ita dispertitae linguae tamquam ignis signum erant Spiritus sancti, qui super discipulos singulos descendit, seditque (Act. II. 3.). Perperam itaque per aquam et Spiritum sanctum adversarii nostri aquam spiritalem intelligunt. Quantum ad ultimum, advertas Nicodemum arbitratum fuisse, ut contextus declarat, Christum de carnali regeneratione fuisse loquutum. Quam crassam hominis ideam correxit Christus, inquiens : *Nisi quis renatus fuerit . . . . . quod natum est ex carne*, *caro est; quod natum est ex spiritu*, *spiritus est* (Joan. III. 5. 6.). At Nicodemo reponente : *Quomodo possunt haec fieri ?* consequebatur, eum non solum regenerationis modum, sed spiritalem ipsam regenerationem tot Scripturarum oraculis stabilitam ignorare. Qua de causa merito a Christo fuit reprehensus.

§. CCXXXIII.

Baptismum aquae aliquando supplet ejusdem votum, et martyrium.

Quamvis baptisma medium sit ad salutem consequendam necessarium, divina tamen ordinatione constitutum est, ut adultus quilibet aquae baptismo privatus ardenti ejusdem voto, vel martyrio salutem obtinere queat (§. CXXX. Schol.). Cujus asser-

(*) Verba haec, et *igne* in multis Graecis codicibus minime reperiuntur. Robertus Stephanus septem, Millius alios viginti codices in quibus deest, proferunt. Genuina tamen judicamus, quoniam Latini Patres, et Graecorum pars major retinent. Vid. Calmet in hunc locum.

tionis veritas inde elucescit, quod promiserit Deus aeternam vitam iis, qui humili, et contrito corde ad eum accedunt, invocant, diliguntque. Apostolus enim ad Romanos scribens, inquit (ad Rom. X. 11. 13.) : *Omnis, qui credit in illum, non confundetur . . . omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, et Christus ipse (Joan. XIV. 21.) ait : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*. Exemplum habemus in Cornelio, sociisque ejus, qui ob ardens Christianae Religionis desiderium ante adeptum baptismi Sacramentum Spiritum sanctum receperunt (Act. X. 44.). Quod non minus tenendum est de illis, qui vitam pro Christi nomine dederunt. Quandoquidem Salvator dixit (Matth. X. 32.) : *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est* (Ib. XVI. 25.), nec non : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Quibus oraculis consonans Augustinus scribit (Lib. XIII. *de civ. Dei* cap. VII.) : *Qui pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.*

Scholion. Merito PP. Tridentini sess. VI. *de Iust.* cap. IV. dixerunt : *Quae quidem translatio* (nempe a statu peccati ad gratiam) *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.*

§. CCXXXIV.

Res baptismi est sola naturalis aqua.

Quum sensibilia signa efficaciam spiritalem nullam nativa virtute sua habere queant; atque quam habent, in solum Dei beneplacitum sit refundenda omnis; prudens nemo in dubium vertere poterit, nullum aliud baptismatis elementum sensibile admitti posse, nisi quod Christus instituit, atque per verbum sacramentale ad gratiam producendam elevare placuit. Jam vero Christum Dominum rem, sive ut Scholastici loquuntur, *materiam* hujus Sacramenti instituisse aquam naturalem solam ex allato (§. CCXXX.) Joannis testimonio fit palam; ac Apostolorum doctrina, et consuetudo demonstrat. Nam Petrus eos, qui crediderunt, aqua tingendos esse, asserit (Act.

X. 47.), Eunuchus a Philippo baptizandus descendit in aquam (Ib. VIII. 36.), Paulus Ephesios docet (ad Eph. V. 26.), Christum semetipsum tradidisse, ut Ecclesiam *sanctificaret mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*. Quod si ad latinae, graecae, orientalis Ecclesiae praxim confugiamus; ubivis, ac senper aquam solam pro signo sensibili hujus Sacramenti agnitam fuisse dubium non est.

Scholion. Lutherus *in colloquiis symposiacis*, quidquid balnei loco habetur pro sensibili baptismi signo admittere videtur. At Theodorus Beza *Epist. II. ad Thomam Tillium* in quolibet liquore baptisma administrari posse autumat. Quam opinionem, cum primo noverunt Graeci, eam summopere detestati sunt, uti ex Meletio Syrigo apparet apud Renaudotium tom. V. lib. II. cap. IV. Haud ignoro, non neminem Stephani III. vel ut alii volunt II. proferre Rescriptum, in quo approbare videtur aqua deficiente baptismum in vino. Attamen viri doctissimi non unam ob causam supposititium judicant. I. Quia in canonum collectionibus non invenitur. II. Eo quod de eo silent autores coaetanei. III. Quod pauci codices habent, nec illi concordant, aliis Syricio attribuentibus, aliis Stephano Episcopo Tornacensi; immo quibusdam nec alicujus auctoris nomen praeseferentibus. Natalis Alexander *Theol. dogm. Moral.* lib. II. articul. 2. reg. 2. decretum vitiatum judicat. Confer dissertationem Harduini *da Baptismo in vino*.

§. CCXXXV.

Modus ablutionis.

Ob praetermissum trinae immersionis ritum non pauci Graeci Schismatici Latinam Ecclesiam violati praecepti Dominici expostulant ream: at perperam: nam etsi compertum sit ad saeculum usque VIII. Ecclesiam trina generatim immersione usam fuisse, validum tamen agnovit semper hoc Sacramentum sive infusione, sive adspersione collatum. Et revera baptismi nomen lavandi actionem designat (§. CCXXVII.), immo Paulus baptismum vocat *lavacrum aquae* (ad Eph. V. 26.), *lavacrum regenerationis* (ad Titum III. 5.), quod aspersione non minus, et infusione habere queas. Accedit his Mar-

cum (VII. 4.), et Lucam (XI. 38.) baptismi nomen commemorare; atque eos adspersionem potius, vel infusionem quam immersionem voluisse innuere, haud apparet ambiguum. Quid plura ? Apostolos ipsos immersione trina haud semper baptizasse, recte inferimus ex Actis Apostolicis (II, 41. IV. 4.), ubi una die tria millia Judaeorum, alia quinque millia baptizatos observamus. Tam brevi autem temporis spatio tantam multitudinem immersione trina baptizatam fuisse verosimile minime videtur. Nam credentes ad flumen adductos non legimus, atque cum inter fideles non paucae foeminae essent (Act. VIII. 9.), ac baptisma immersione collatum detractis vestibus omnibus administrari consuetum esset, Apostolos promiscue viros, et mulieres hoc pacto tinxisse, persuadere nobis non possumus. Scimus etiam Paulum, et Silam in carcere custodem cum ejus familia tota baptizasse, quorum exemplum secuti sunt detenti in custodia martyres plures; porro quis dicat, tantam ibi fuisse aquae copiam, ut immersione trina baptisma peragi potuisset ? Itaque quum ex dictis appareat nullum de immersione trina exstare Domini praeceptum, sed res haec fuerit ad disciplinam pertinens, Latina Ecclesia aequis de causis potuit illam immutare.

Scholion. Marcus Ephesius *in Epist. encyclica ad omnes orbis Episcopos*, Graecos, qui cum Latinis inierant pacem, carpit, atque duplex ab ipsis admittendum adversus Scripturae auctoritatem baptisma, unum per immersionem, per infusionem alterum, insipientes asserit. Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus in II. *ad Wittembergenses responso* secundum Evangelica dicta trinam immersionem necessariam esse contendit, immo ut Ricautius scribit *de l'etat present de l'Eglise grecque*, Schismatici graeci non pauci immersionem non minus necessariam esse, quam aquam ipsam arbitrantur. Nihilominus nec ipsi toto corpore immergunt pueros: nam Gregorius Protosyncellus asserit, infantis caput non immergi, sed aqua suscepta in cava manu perfundi. Confer Goarium *in notis ad baptismatis officium* p. 365. Morinum *de poenitentia* lib. VIII. cap.

19. n. 9. Renaudotium tom. V. *perp. fid.* lib. II. cap. 4.

Difficultatem nonnullam movet, quod Tertullianus, Basilius, Hieronymus immersionem trinam Apostolicae traditionis esse scripserint, ac quod Chrysostomus hom. *de fide*, et Pelagius Romanus Pontifex epist. *ad Gaudentium* hanc ex Christi praecepto descendere autumeut. Verumtamen animadvertendum est, traditiones, quae pertinent ad fidem, moresque, nulli unquam obnoxias esse mutationi; bene vero illas, quae disciplinam respiciunt, uti trina est immersio. Exemplum habemus in praegustatione lactis et mellis, quam traditionis Apostolicae esse Tertullianus scribit, qui tamen baptismi ritus nec apud Latinos, nec apud Graecos in consuetudine est. Adde, Apostolos adspersionis etiam, sive infusionis ritum in usum assumsisse, et Ecclesiae tradidisse; proindeque licitum ipsi erit, quemcumque ex iis in usum assumere. Chrysostomus et Pelagius immersionem trinam a Christo mandatam dicunt, non ratione sui, sed quantum ad rem significatam, invocationem nempe SS. Trinitatis. Nam pro suae assertionis fundamento adducunt verba Matthaei XXIII. ubi de trina immersione nec verbulum occurrit.

§. CCXXXVI.

Verba baptismi sunt invocatio SS. Trinitatis.

Baptismi natura non in aqua sola, sed in verbis simul a Christo institutis reponenda est (§. CCXXVII), quae praeter ministri baptizantis actionem ex divina institutione explicitam SS. Trinitatis invocationem continere debent. Quandoquidem jussit Christus Apostolis suis, ut *baptizarent in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti* (Matth. XXVIII.). Perpetua haec fuit Ecclesiae consuetudo, ut ex libris euchologicis omnibus fit manifestum. Latini ita se exprimunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; Graeci autem: *Baptizetur servus Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; nec his, quantum ad substantiam dissimiles sunt orientalium omnium formulae (Vid. *Renaudotium* tom. 5. lib. II. c. V.). Hinc etiam Patres, et Concilia, quum de baptismatis validitate sermo habitus fuit, ratum semper habuerunt, quando in SS. Trinitatis nomine noverunt administratum.

Scholion. Baptismi verba, quae dici solent a Theologis *forma*, vitiarunt imprimis Marcosii teste Irenaeo *lib. I. advers. haeres.* c. 211. n. 3. Paulianistae, ut Augustinus ait *haer.* 44., nonnulli Montanistae, qui baptizabant in nomine Patris, et Filii, Montani, et Priscillae; tum Photiniani, et Eunomiani. Acatholici legitima retinent verba, at ea ad baptismi valorem nonnulli haud necessaria judicant. Zwinglius *lib. de vera, et falsa Religione cap. de baptismo*, Lutherus *de captivitate Babylonica cap. de baptismo*, Joannes Brentius in *Catechismo* validum habendum esse Sacramentum affirmant, si facta a Catechumeno fidei professione, minister dicat: *Ego te baptizo in hanc recitatam fidei professionem.* Verum Fanatici baptismi verba penitus aversantur, asserentes perperam, magicam vim verbis formulae adscribi.

§. CCXXXVII.

Christus Dominus ob summam Sacramenti hujus necessitatem (§. CCXXX.) in obvio non tantum, communique elemento illud instituit; verumetiam non unius ordinis viros ejusdem constituit ministros; sed alios ordinarios esse jussit, alios ex delegatione; immo placuit illi, ut facilior pateat ad salutem aditus, potestatem hanc urgente mortis periculo, mortalium nemini denegare. At vero Episcopos primas in baptismatis ministerio partes habere, inde compertum est, quod Christus Apostolis, quorum ii successores sunt (§. CXI.) dixerit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* (Matth. XXVIII.), quam ordinariam potestatem ad Presbyteros etiam extendi Ecclesiae traditione docemur. Quandoquidem canones, qui dicuntur Apostolici (Can. L.), Auctor constitutionum Apostolicarum (Lib. III.), Tertullianus (*De bapt.* c. XVII.), Epiphanius (*Contra Arianos*), Hieronymus (*Dial. adv. Lucifer.*), Io. Chrysostomus (*Ep. ad Innoc. R. P.*), Augustinus (*Sermo* 334. de diversis), Gelasius Romanus Pontifex (Epist. IX.), pluresque alii veritatis hujus sunt disertissimi testes. Diaconos autem solemnis baptismi extra ordinem ministros esse ex Philippo Diacono apparet, qui ab Apostolis delegatus Sama-

Minister ordinarius sacerdos est primi, et secundi ordinis: extraordinarius Diaconus.

ritas in fide instruxit, sacroque fonte regeneravit; atque hospes, et peregrinus in rebus Ecclesiasticis sit oportet, quisquis ignorat, Diaconos non raro delegatos fuisse hujus Sacramenti ministros.

Scholion. Quamvis presbyteri ordinarii sint baptismatis ministri, nihilominus, cum ii dignitate, et auctoritate Episcopis sint inferiores (§. CXVI.), ut rectus servaretur ordo, absque Episcopi facultate baptismum solemniter administrare haud solebant, quemadmodum ex Ignatio Martyre patet *epist. ad Smyrnenses*, Tertulliano *de baptismo* cap. 17, Hieronymo, aliisque. Ad haec: cum solemne baptismi ministerium perpaucis tantum in anno vicibus et splendide haberi soleret, Episcopi ipsi baptismum administrare consueverant; quo factum fuit, ut iis tantum annuentibus Presbyteri solemnem administrarent baptismum.

§ CCXXXVIII.

Valet baptismus a Laico, faemina, tum Judaeo, et gentili collatus.

Quod si Ecclesiastici ordinis viros, quibus Sacramentorum administratio concredita est, reperire datum non sit, atque nondum quis sacro fonte est regenitus, mortisque adsit periculum, providentissimi legislatoris Christi Domini voluntas fuit (quemadmodum veritatis magistra Ecclesia nos condocet), posse quemlibet, dummodo ipsius servet institutionem, Sacramentum hoc legitime administrare. Et quidem, si de laicis sermo sit, Tertullianus suorum temporum proponens consuetudinem ait, iisdem conferendi baptismatis jus esse: sed monet simul prudenter: *Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personae conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis, quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit praestare, quod libere potuit* (De Bapt. cap. XVII.). Ejusdem mentis fuere Hieronymus (*Dial. adv. Lucifer.*), Augustinus (Lib. II. *contra Epist. Parmen.* c. XII.), Gelasius Romanus Pontifex (*Epist. ad Episc. Lucaniae*), Concilium Elliberitanum (Can. XXXVIII.), necnon Concilium Lateranense (*Cap. firmiter*), in quo statutum fuit, quod *Sacramentum baptismi a*

quocumqne sit collatum proficit ad salutem. Quibus generatim prolatis jam apparet foeminas etiam posse administrare baptismum. Sed haec quoque accedit magni ponderis ratio, quod pervetusta Concilia, ac sancti Ecclesiae Patres sacramentum hoc a quibuscunque haereticis in SS. Trinitatis invocatione collatum approbaverint. At inter haereticos nonnulli erant, quemadmodum Collyridiani, aliique, ordinariam baptismi potestatem mulieribus attribuentes. Quantum ad Judaeos et Gentiles difficultas gravior est. Nam Augustinus, etsi in eam inclinabat sententiam, quod validum baptisma sit, *ubicumque, et a quibuscumque* verbis Evangelii consecratum; nihilominus ad plenam rei definitionem universalis concilii decretum expectandum esse arbitrabatur (Lib. VII. *de Bapt.* c. 53.). Verumtamen post Nicolai I. statuta (*In resp. ad consulta Bulgarorum*), Ecclesia a Judaeo vel Pagano baptisma juxta Christi institutionem administratum judicavit validum. Quod etiam declaravit Eugenius IV. *in Armenorum instructione* ajens: *In casu autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam Paganus et haereticus baptizare potest.*

Scholion. Lutheri asseclae validum a Laico administratum baptisma judicant Buddaeo teste *Inst. Theol. dogm.* p. 1050.; irritum tamen generatim judicant Calviniani. De Anglis vero Casaubonus ait, eos a Laico vel foemina administrari suis legibus vetare, datum tamen sub legitima formula quodammodo non improbare, quod pluribus ostendit Georgius Abbas Anglus apud Vossium p. 297. Ex Graecis schismaticis fuerunt, qui a laicis urgente etiam necessitate baptismum conferri non posse autumarunt; nihilominus in *Jure Graeco Romano can.* 13. habetur, Patriarcham Nicephorum circa annum 806. laicis omnibus dedisse urgente mortis periculo baptismi elargiendi potestatem. Gregorius Protosyncellus in *Epit.* Divin. Myst. Gabriel Philadelphiensis, Hieremias Patriarcha ejusdem mentis sunt. Vid. Renaudotium *tom.* V. lib. II. c. 5. Conf. Tillemontium *tom.* 9. *hist. Eccl.* Churdun. *hist. Sacramentorum.*

§. CCXXXIX.

Turretini argumenta. Illicitum, immo invalidum esse a laicis et mulieribus collatum baptisma his argumentis evincere conatur Turretinus Calvinista (Inst. Theol. Eclecticae part. III. loc. 19. q. 18.). I. Iis solum convenit jus baptizandi, quibus a Christo collatum est munus docendi, quum hae partes ministerii nexu indivulso connexae sint; at Christus hoc jus dedit tantum Apostolis eorumque legitimis successoribus (Matth. XXVIII.). II. Quia nemo tractare sigilla Principis potest, nisi qui speciali ratione hoc muneris obtinet et cancellarii vices obit; at Sacramenta sigilla sunt Regis Regum, quorum custodia solis ministris sacris competit. III. Non magis licet privato, aut foeminae baptismum quam Eucharistiam dare, utrobique enim par est ratio: nam si debemus in Ecclesiam intrare, debemus etiam in ea nutriri. IV. Quia Veteres baptisma mulierum illicitum judicabant, et Epiphanius inter Marcionitarum deliramenta referebat.

§. CCXL.

Solvuntur. At haec facile refelluntur. Nam si sermo sit de potestate ordinaria baptismum conferendi, ea competit illis, quibus publicum docendi munus a Christo collatum est. Verum sicuti laici Evangelicas veritates privatim edocere possunt (Act. XVIII. 26.), ita urgente mortis periculo privatim baptisma poterunt administrare. Ad alterum dicimus: etsi cancellarii munus est tractare sigilla, tamen si Princeps velit, a quolibet, dum abest Cancellarius, sigilla tractari possunt: eodem pacto baptismi ministerium ad sacerdotes pertinet, quibus absentibus, urgenteque periculo quilibet poterit administrare baptisma: *neque ullo modo, quod a privatis usurpatum est, signum regale violabitur*, inquit in rem nostram opportune Augustinus (Contra Epist. Parmen. c. 13). Argumento tertio reponimus: Sacramentorum administrationem ex Christi voluntate, quam nobis Ecclesia aperit, repetendam esse; laicos Eucharistiae ministros fuisse non legimus; at ex Ecclesiae consuetudine, quam Calvinus ipse antiquissimam esse non negat, ii urgente periculo administrarunt baptisma. Accedit

his, sacramentum istud esse ad salutem consequendam medium necessarium (§. CCXXX.); sed Eucharistia, etsi animam nostram nutriat, non tamen solum, unicumque medium est ad vitam spiritualem conservandam. Postremum non moror: Vetusti Ecclesiae Patres mulieribus denegant solam ordinariam et cum solemnitate baptismi elargiendi facultatem, quod ex ipso evincitur Epiphanio scribente (Haer. 49.), Ecclesiasticum ordinem nec presbyteras, nec sacrificulas admittere.

§. CCXLI.

Infantes sunt baptizandi.

Pravum Anabaptistarum genus, quod furorem deponere docuit Menno Simonis, a quo nunc Mennonitæ vocantur, inter plura errorum portenta, puerorum baptisma Daemonis inventum esse affirmabat, ac quotquot in pueritia baptismum suscepissent, novo tingebat, tingitque adhuc lavacro (*). Quam consuetudinem pessimam refutare arduum non est. Etenim baptismus singulis ita necessarius est, ac praesertim infantibus, qui ejusdem votum nequeunt concipere, ut ex Christi sententia, illo si careant, ad regnum caelorum aditus patere nequeat (§. CCXXX). Porro Salvator (Matth. XIX. 14) corripuit eos, qui infantulos ad se venire inhibebant: *quoniam*, inquit, *talium est regnum caelorum* (**). Itaque

---

(*) De Anabaptistis copiose egit Moshemius *Inst. Eccl. hist.* saec. XVI. *Sect.* 3. par. 2. c. 3. *Sec. XVII.* sect. 2. p. 2. c. 5. quibus hac in parte adstipulati sunt Michael Servetus, Socinus, et Ministri Transilvaniae. Vid. Hoornbeeck. *Soc. conf. tom.* 3. *lib.* 2. c. 3. Eos jam in errore praecesserunt Waldenses, Petrobnsiani, Henricianì, Cathari saec. XII. inventi Coloniae. Erasmus etiam male audiit, eo quod baptizatos infantulos, cum ad rationis usum pervenerint, interrogandos suadet, an in christiana Religione velint permanere, ac si renuant, plenam optionem iis relinquendam affirmat: quam doctrinam Facultas Parisiensis, et quod magis est PP. Tridentini ad tenebras damnarunt. Conf. Argentraeum *collect. Judic. de novis erroribus* tom. II. p. 53.

(**) Qui a Matthaeo *τά παιδία* vocantur, ii Lucae XVIII. 15. *βρέφη* . . . . dicuntur, quae vox vel infantem in utero, vel adhuc lactentem designat *Lucae* I. 41. II. 12. I. *Petri* II. 2. Quum vero legamus puellos hosce ad Christum allatos, ipsumque eos ulnis complexum fuisse *Marci* X. 16.; de teneris infantibus sermonem haberi dubium non est.

baptizandi infantes sunt, ut medium habeant, quo aeternam felicitatem consequantur. Cui argumento maxime accedit ex traditione pondus: quum perpetuo in Ecclesia existimatum sit, infantulos sacro baptismatis fonte esse lustrandos. Origenes asserit (Lib. V. in cap. 6. Epist. ad Rom.) *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare*. Ejusdem veritatis testes sunt praeclarissimi S. Cyprianus una cum sexaginta sex Africae Episcopis (In Epist. ad Fidum.), Auctor Ecclesiasticae Hierarchiae (Cap. ultimo), Hieronymus (Dial. III. advers. Pelag.), Ambrosius (Lib. II. de Abrahamo c. II.), S. P. Augustinus (*) (Lib. X. de Civ. Dei cap. 23.). Quod validissimo non minus praescriptionis argumento demonstratur. Nam Latini, Graeci, Orientales pro pueris baptizandis officium habent: immo gravissimas hi postremi poenitentias iis injungunt, quorum culpa infantes absque baptismo e vita decedunt.

§. CCXLII.

Effectus baptismi.

Maximi, excellentes, admirandi plane effectus sunt, quos ex Divina largitate in baptismo suscipimus. Ac, quum Sacramentum hoc mortem, sepulturam ac resurrectionem commemoret suam (Ad Rom. VI. 3. seq.), amplissimos quoque Christo placuit passionis suae fructus nobis communicare. Et revera baptismi virtute originis peccatum tollitur: nam qui eramus natura filii irae Christum induimus (Ad Gal. III. 27.), caetera non minus, quae propria voluntate patravimus delicta, nobis remittuntur (Act. II. 38.). Poena temporalis omnis luenda in altera vita, liberaliter a Deo condonatur. Sanctificantem quoque gratiam in nobis Paulo teste (I. ad Corinth. VI. 11.) producit; *sed abluti estis*, inquit, *sed sanctificati*

(*) S. Pater haec habet: *Consuetudo matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio*. Quae verba adducunt Buddaeus *inst. Theol. dogm.* 1147. Vossius disp. *de bapt.* th. IV. Hoornbeeck *Socin. confut.* lib. 3. p. 300. Ex quo videre est Lutheranos et Calvinistas, qui acre bellum traditionibus movent, ad easmet recurrere, quum adversus Anabaptistas et Socinianos disputant.

estis, *sed justificati estis*: induimusque hominem, *qui secundum Deum creatus est in justitia*, *et sanctitate veritatis* (Ad Ephes. IV. 24.); quo intelligimus per baptismum in nobis restaurari quam per peccatum primi parentis deturpatam habemus imaginem Dei. Regenerationem etiam spiritualem accipimus (§. CCXXVII.), templum Dei constituimur, et regni coelestis haeredes.

Scholion. Unde gratias referre summo Numini maximas humanum genus debet, inde Religionem nostram calumniandi ansam arripiunt increduli. Voltairius in *dictionario philosophico art. baptême*, ex quo baptisma remittendi peccata virtutem habeat, ratiocinium hocce Imperatori Constantino tribuit: *Baptismus omnia purificat*, *possum itaque meam uxorem occidere*, *meum filium*, *ac meos omnes consanguineos*. Attamen undenam Philosophus probat, ex spe obtinendae in baptismo veniae illa patrasse Constantinum? Nullo sane vel levi momento: immo ex historia rem aliter contigisse evincitur. Fausta Constantini uxor, Crispi noverca, hunc accusavit, quod adversus pudorem ejus attentasset; ita et zelotypia Constantinus exardens proprium filium nimis improvide capite damnavit. Verum Fausta se juvenem Principem seducere voluisse, fassa est, unde eandem Imperator extremo addicens supplicio, quod justum erat, jussit. Nihil apud historicos, quod ob speratam in Religione christiana veniam haec Constantinus praestiterit; immo in fine tantum vitae suae baptisma Nicomediae recepit. At incredulum incredulo opponamus. Collinsius *discours sur la libertè de penser*, Zosimi scriptoris ethnici authoritate fretus, asserit Constantinum post patrata crimina cogitasse primum de Religione christiana suscipienda, quum gentiles Sacerdotes nullam pro ipsius culpis expiationem habere dixerunt. Caeterum ex iis, quae narrat Sozomenus lib. I. *hist. Eccl.* c. 5., ac quae profert Spanhemius *in observationibus suis supra Caesares Juliani*, Collinsium et Zosimum hallucinatos non minus fuisse demonstratur. In dictionario portatili idem Voltairius, art. *baptême*; *addition importante*, ex Boulangerio affert: Julianum Imperatorem religioni nostrae

irrisisse, eo quod christiani, quacunque abominatione foedatos homines ad se alliciant, dicantque, eos, si aqua abluerint, puros mundosque reddituros. Nihilominus objectionem hanc Voltairius, et Boulangerius ex Collinsio mutuati sunt, ac ipse Julianus ex Celso Epicuraeo, ut videre est apud Origenem lib. III. *contra Celsum* n. 59. edition. Maurinae. Praeclarus iste Religionis nostrae vindex ante quindecim saecula argumentum hocce contriverat; quandoquidem asserebat Christi religionem animas aegras ad curationem advocare, hortari peccatores, ut doctores audiant, qui a peccando deterrent, atque cum peccatores progressionem ad virtutem fecerunt, tunc primo mysteriis initiari. An homines ex malis bonos, ex scelestis virtute praeditos reddere, est id, quod in Religione nostra detestantur increduli? Porro, qui ad Christi religionem convertebantur, puram incontaminatamque duxisse vitam non solum discimus ex Tertulliano *Apol.* c. 44. Minutio Felice in Octavio, Clemente Alexandrino *lib.* II. *paedag.* Hieronymo *ad Marcellam*; verum etiam ex celebri epistola Plinii Bithyniae Gubernatoris *ad Trajanum* manifesto apparet.

§. CCXLIII.

Quibus addendus character.

Sed alter adhuc est praeclarus baptismi effectus, cujus gratia potestas quaedam spiritualis in anima nostra imprimitur, unde eorum participes reddimur, quae fideli populo communia sunt. Tessera haec est, et nota, qua ab infidelibus discriminamur, ac civitatis christianae jure donamur. Nota haec, quam nuncupamus characterem, nullo tempore, nulla malitia, nullo scelere deleri potest, perpetuo enim Deo per hanc tesseram consecrati manemus, estque veluti Regis imago pecuniae impressa, quae eadem inter hostes etiam permanet. Quam veritatem non proletarii scriptores, sed praeclarissimi Ecclesiae Patres tradiderunt, omniumque Ecclesiarum etiam graecarum, ac orientalium consensu firmamus.

Scholion. Characterem sive tesseram indelebilem in baptismo tribui, clarissime testatur S. Basilius *hom. XIII. quae est exhortatio ad baptismum.* Cyrillus

Hierosolymitanus *in praef. Catech.* baptisma vocat *Signaculum sanctum et indelebile.* Idem tradunt Gregorius Nazianzenus *orat.* 40. Epiphanius *haer.* VIII. ac disertissime Augustinus *epist. 98. ad Bonifacium lib. 3.* de *bapt.* n. 16. et 19. lib. II. *contra epist. Parmen.* n. 28. et 29.

Verum ne quaeso oblivioni mandemus, quid in baptismo spopondimus, quibus rebus nuntium misimus, cui militiae nomen dedimus, quibus praeceptis nos obedire promisimus. Perpendamus, quot insignibus beneficiis affecti sumus, quantam habeamus dignitatem, neve divinam legem violando passionis Christi uberrimum nobis in hoc Sacramento applicatum fructum amittamus.

CAPUT II.

De Confirmatione.

§. CCXLIV.

Sacro baptismatis fonte regenitos, quum pugnax ac lacertosa adhuc concupiscentia perduret, foris pugnae sint, intus timores (II. Ad Corinth. VII. 5.), ad fidem, quam solemniter professi sunt forti animo profitendam, gloriosumque de inimicis triumphum reportandum, Christus Dominus confirmatione roboratos munitosque esse voluit. Haec porro est *novae legis Sacramentum, quo baptizatis confertur robur spiritus, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide profitendam.* Confirmationem a Christo Domino institutam esse constanter profitemur; at si de tempore sermo sit, post resurrectionem suam, quando cum Apostolis de regno Dei colloquebatur (Act. I. 3.), id contigisse judicamus; nam ut sapienter scribit Leo magnus (Serm. I. de Ascens.): *dies illi haud otioso transiere decursu, sed magna in his confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria.* Quod auxilium non solum ecclesiasticum, verum etiam Divino nobis est praecepto necessarium (I. *Petri* V. 8. *ad Eph. VI. II.*), atque nostra aetate quam maxime, qua tot pestilentes libri magno cum animarum detrimento sparguntur in vulgus.

Quid sit confirmatio.

SCHOLION. Sacramentum istud antiquitus confirmationis nomine insignitum novimus ex Leone magno *ep. 79 ad Nicet.* et ex I. Arausicano concilio. Dicitur etiam *manuum impositio* ab Augustino lib. III. *de bapt. c. 16.* ab Isidoro Hispalensi *de eccl. offic. c. 26. Sigillum* autem nuncupatur a Cornelio R. P. *epist. ad Fabium Antiochenum*, unde etiam a Graecis vocatur σφραγὶς, quamvis usu magis communi μύρον appellant, quae vox unguentum liquidum, vel unctionem significat. Augustinus etiam vocat lib. II. contra litteras Petiliani c. 104. *Sacramentum chrismatis*, PP. Laodicaeni, *chrisma Sanctum et supercaeleste*, Leo Magnus Serm. IV. da nat. *Chrisma Salutis.*

§. CCXLV.

Est verum Sacramentum. I. ex S. Litteris. Ad constituendum verum novae legis sacramentum signum sensibile necessarium est consecratum verbis, quod ex Divina institutione gratiam sanctificantem producendi vim habeat (§. CCXXVI.). Haec vero in confirmatione adesse cuncta S. litterae evincunt. Quandoquidem in actis Apostolorum (VIII. 14. seq.) legimus, ad Samaritas jam sacro fonte regenitos missos fuisse Petrum et Joannem: *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat: sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu: tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Quis, quaeso, non videat, in manuum impositione rem subjectam sensibus, in oratione consecratoria verba, gratiam vero sanctificantem in collatione Spiritus sancti? Adest quoque divina institutio, quum Deus solus ad gratiam producendam elevare possit signum sensibile; atque Apostoli mysteriorum Dei dispensatores, non auctores se esse fateantur (*I. Ad Corint. IV. 1.*). Quod si gratiae promissionem requirant adhuc Acatholici, hanc habemus his verbis expressam (*Act. I. 3.*): *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes:* quod donum non sola Apostolorum tempora respicere, sed permansurum in Ecclesia perpetuum inde colligimus, quod Christus ipse dixerit (*Joan. XIV. 16.*): *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeter-*

num. Itaque Confirmatio verum est novae legis Sacramentum.

Scholion. Hujus Sacramenti existentiam Lutherani, Calviniani, ac heterodoxi reliqui praefracte negant.

§. CCXLVI.

Recensentur nonnullae difficultates.

Manuum impositionem ad gratias tantum gratis datas, non ad gratiam sanctificantem conferendam fuisse institutam Acatholici persuadent sibi his innixi argumentis. I. Spiritus sanctus ab Apostolis collatus idem est, quem iimet in Pentecostes die acceperunt: at illos tantum gratiam miraculorum, prophetiae et linguarum recepisse palam fit ex Apostolicis Actis (*Act. V. 32.*), ubi ex Spiritus sancti illapsu super Apostolos impletum fuisse dicitur Joelis vaticinium: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae*. II. Samaritani, si de gratia sanctificante sermo sit, eam jam in baptismo receperant; itaque ad gratias tantum gratis datas obtinuerunt Spiritum sanctum. III. Legimus etiam in sacris libris manus ab Apostolis ad morbos sanandos impositas; unde sicuti haec sacramentalis non est; nec altera esse debet, de qua mentio fit in actis Apostolicis. IV. Media, quibus Deus vult nos in fide roborare sunt baptismus (ad Eph. V.), verbum (Act. XIV. XV. XVIII.), Eucharistia, quum Salvator ipse dicat (Joan. VI. 58.): *Qui manducat me, vivet propter me*.

§. CCXLVII.

Et solvuntur.

Sed perperam ac injuria Acatholici se nostram his argumentis causam prostravisse jactitant. Quandoquidem, Spiritum sanctum ab Apostolis receptum, eumdem fuisse, quem ii manuum impositione conferebant, non imus inficias; at ii praeter dona linguarum, miraculorum, prophetiae, gratia eos in fide roborante, ac perficiente fuerunt insigniti; nam qui prius timidi Christum dereliquerant, accepto Spiritus S. dono impavidi eumdem jam morte probrosa affectum in frequentissima Hierosolymitana civitate annuntiabant (§. LXIV.); ac Petrus caeterorum etiam Apostolorum nomine Judaeis ajebat: *Et nos sumus*

testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus obedientibus sibi (Act. V. 32.); cujus nomine gratias non gratis datas, sed ipsam Spiritus sancti personam intellexisse contextus loci aperte declarat (Ibid. v. 3. et 4.). Jam vero, quum Spiritus sancti in Apostolos descensus duplicem habuerit effectum, ac de nobiliori sanctificantis gratiae augmentum praebente jam Lucas in Apostolicis actis (Act. I. 8.) verba fecisset, ad effectum alium, nempe ad gratias gratis datas sequenti in capite sermonem convertit; atque Joelis vaticinium tunc fuisse adimpletum affirmat. Neque adversarios juvat Samaritanorum exemplum, ii enim Spiritum sanctum in baptismo, quantum ad peccatorum remissionem, ac gratiam regenerantem consequuti fuerant; at Apostolica manuum impositione, eumdem ad animae robur, ut fidem intrepide confiteri, ac propugnare possent, acceperunt. Quantum ad manuum impositionem pro morbis depellendis attinet, eam haud fuisse sacramentalem libenter damus, quoniam gratiam sanctificantem ejus virtute collatam fuisse non legimus. At jure meritoque affirmamus eam habere Sacramenti rationem, quae confert Spiritum sanctum. Ultimum superest, quod nobis nullum facessit negotium: enimvero, quamvis baptismus suo modo nos roboret, verbo discipulorum animi fuerint confirmati, ac Eucharistia etiam nos muniat; nihilominus, ad nos in fide magis firmandos peculiarem gratiam Christo Domino placuit in hoc Sacramento elargiri: quod solidissimo argumento demonstramus. Nam Salvator Apostolis credentibus, baptizatis, evangelico verbo a semetipso edoctis, sacra Eucharistia refectis adpromisit (§. CCXLV.), deditque eum in finem Spiritum sanctum, ut Evangelicas veritates annuntiarent, easque intrepide propugnarent. Quam roborantem gratiam, quamvis ii absque Sacramento receperint, alii tamen manuum impositione obtinuerunt.

§. CCXLVIII.

II. Ex Patrum auctoritate.

Porro Catholicum hoc dogma ita Patrum mentibus inhaesit firmiter, ut luculentissima de eo testimonia dederint. S. Irenaeus (Lib. IV. *adv. haer.* c. 38. n. 2.) inquit: *Quotiescunque enim imponebant Apo-*

stoli manus, *accipiebant* (fideles) *Spiritum sanctum*, *qui est esca vitae*. Tertullianus ait (*De resurr. Carnis* c. VIII.) : *Caro manus impositione adumbratur*, *ut et anima spiritu illuminetur*. S. Cyprianus allato Petri et Joannis exemplo hunc morem in Ecclesia vigere scribit (Epist. 73.), ut qui baptizati sunt : *Praepositis Ecclesiae afferantur*, *et per nostram orationem*, *et manuum impositionem Spiritum S. consequantur*, *et signaculo divino consummentur*. Auctor Anonymus, quem multi Cypriano et Stephano Romano Pontifici coaetaneum dicunt, non minus asserit, quod per manuum impositionem Episcopi detur cuilibet credenti Spiritus sanctus. Firmilianus (*Epist. ad Cyprianum*) eandem diserte sententiam propugnat. Concilium Elliberitanum (Can. 34.) urgente mortis periculo Catechumenum a laico baptizandum esse decernit : *Et si supervixerit*, *ad Episcopum eum perducat*, *ut per manuum impositionem perfici possit*. S. Joannes Chrysostomus (Hom. 18. *in Act. Apost.* n. 3.) praerogativam dandi Spiritum sanctum Apostolorum fuisse testatur : *Ideoque et Coryphaeos*, *non alios videre est hoc facere*. Innocentius I. (Epist. *ad Decentium*) ad solos Pontifices pertinere asserit, ut *vel consignent vel paraclitum Spiritum tradant*, idque non solum ex Ecclesiae praxi, verum etiam ex lectione Actuum Apostolorum demonstrari contendit. Plura etiam habet in rem hanc egregia magnus Augustinus (Lib. XV. *de Trinit.* c. 26. et lib. 3. de bapt. c. 16. n. 21.), aliique Patres, quorum doctrina sicuti notissima est, ita pluribus ostendere non juvat.

Scholion. Confer Sambovium *de Sacramento confirm.* Continuatorem *Witassii*, ac praeclarum nuperum Abbatem Trombelli *de sacr. Confirm.* Bononiae 1755.

§. CCXLIX.

At vero praeclarum hoc Sacramentum, quum Chrismatis non minus ac unguenti nomine decoratum fuerit (§. CCXLIV. Sch.), haud in sola manuum impositione, verum etiam in chrismatis inunctione reponendum esse comperimus. Ad quod demonstran- Ulterius demonstratur.

dum haec adduci solent Apostoli verba (ad Corinth. I. 21. Vid. ad Eph. I. 13) : *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo , et qui unxit nos Deus et signavit nos , et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* , quae de confirmationis Sacramento non pauci Patres intellexerunt. At chrismatis inunctione gratiam ex Dei institutione nobis conferri res in traditione est exploratissima. Nam Theophilus Antiochenus Justino contemporaneus (Lib. I. *ad Autolycum*) nulla alia ex re Christiani nomen nos traxisse ait , quam *quod divino oleo perfundimur.* Tertullianus in rem nostram perspicuus est (*De resurr. carnis* cap. 8.) : *Caro ungitur* , inquit , *ut anima consecretur; caro signatur , ut anima muniatur.* His plane consona habent Origenes (In cap. 6. Epist. ad Rom.), Cyprianus (Epist. 70.), Auctor Constitutionum Apostolicarum (Lib. III. c. 17. et lib. VII. cap. 22.), Cyrillus Hierosolymitanus (*Cath. Myst. III.*), Pacianus (*Serm. de bapt.*) , Optatus Milevitanus (Lib. II. et IV.) , Ambrosius (Lib. de Myst. c. 6.) , Gregorius Nazianzenus (Orat. 40.) , Augustinus (Lib. II. *contra ep. Petiliani* cap. 104) , Innocentius I. Rom. Pontifex (*Epist. ad Decentium*) , aliique sexcenti.

§. CCL.

Et praescriptionis argumento.

Sed validissimo non minus , quod praescriptionis dici solet , argumento hujus sacramenti existentia declaratur. Enimvero quum Lutherus et Calvinus adversus Ecclesiam Romanam infesta signa erexerunt , Latini , Graeci , Orientales Sacramentum hoc agnoscebant. Nam de Latinis dubium nullum heterodoxi movere possunt ; quantum vero ad Graecos et Orientales attinet , eorum Euchologici libri etiam antiquissimi , in quibus confirmationis officium continetur , id aperte demonstrant. Quumque Nestoriani , et Monophysitae a Graecis et Latinis , Graeci ab Ecclesia Romana diuturno schismate sejuncti sint, hos vel illos in aliorum gratiam id recepisse prudens nemo affirmabit. Quamobrem ante exortas hasce haereses, conflatumque Graecorum schisma , Confirmationis Sacramentum in Ecclesia fuisse universale , ac ubique ac semper viguisse dicendum est ; proindeque Ecclesia

ab Apostolis, Apostoli ab ipso Christo Domino Confirmationis sacramentum acceperunt.

Scholion. Ex his, quae hactenus proposuimus, colligere est, rem sive materiam hujus sacramenti duplicem esse: nempe manuum impositionem, ac chrismatis inunctionem. Laudati enim Patres (§. CCXLVIII. et CCXLIX.) utrumque sensibile signum conferre Spiritum sanctum, ac gratiam, quae nos muniat, perficiatque, agnoscunt: ac quamvis ipsi pro re nata modo de impositione manuum, modo de Chrismatis inunctione sermonem habeant; non raro tamen utramque rem uniendam esse demonstrant; quemadmodum Tertullianus *de resurr. carnis* cap. 3. *de baptis.* Cap. 7. Cyprianus *epist. 73. ad Jubajanum*, Optatus lib. 4. *advers. Parmenianum*, Augustinus *lib. V. de bapt.* n. 28., Innocentius *epist. ad Decentium*, Gregorius Magnus in *Sacramentario*, aliique. Unde etiam verosimilius judicamus, verba, quae signum sensibile elevant, duplicis generi esse: nempe orationem, quae manuum impositioni correspondet; et haec apud Latinos verba: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris etc.* atque apud Graecos: *Signaculum doni Spiritus sancti:* Vide, quae fusiori calamo scripsimus *de Sacr. in genere, baptismo et confirmatione,* lib. III.

§. CCLI.

Minister ordinarius est Episcopus.

Hactenus de Confirmationis existentia dixi; nunc dicam de ministro, quem auctoritate propria ac ordinaria solum Episcopum esse, aequus quilibet rerum aestimator judicare debet. Quandoquidem ipse Apostolorum Princeps Petrus, dilectusque Christi discipulus Joannes ad Samaritas jam a Philippo baptizatos, ut manuum impositione Spiritum sanctum reciperent, perrexerunt (§. CCXLV.), atque primitivae Ecclesiae Patres, tamquam rem omnibus exploratam, administrare Confirmationis sacramentum proprium Episcoporum munus esse, docuerunt. Cornelius Rom. Pontifex (*Apud Eusebium* lib. VI. *hist. eccl.* c. 43.) Novatianum carpit, eo quod aegre decumbens baptizatus, ea quae juxta Ecclesiae regu-

lam percipi debeat, non accepisset, neque *ab Episcopo consignatus fuisset.* Cyprianus, Firmilianus, Auctor anonymus, Innocentius I., Chrysostomus, Augustinus, alii ad Episcopos tantum pertinere, Spiritum sanctum sacro fonte regenitis dare, consensu unanimi tradiderunt (§. CCXLVIII.). Addimus concilium Arelatense III. (*), quod Neophytos ab Episcopo Forojuliensi consignari jubet, Hispalense II. (An. 617.) Parisiense VI., Wormatiense, Constantiense, Eugenium IV. omnesque rituales Latinorum libros. Quapropter constanti traditione edocti Tridentini Patres definiverunt merito (*Sess. 7. Can. 3. de confirmatione*): *Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis semplicem sacerdotem, anathema sit.*

Scholion. Photius, qui deposito per vim Ignatio sedem Constantinopolitanam occupaverat, Presbyteros non minus, quam Episcopos ordinarios esse hujus Sacramenti ministros effutiebat. Waldenses, Wicleffus, Joannes Hus Episcopos esse Confirmationis ministros reprobabant. Lutherus, Calvinus, eorumque sectatores, praeterquam quod Sacramentum ipsum contemnunt, in eo etiam Ecclesiam Romanam carpunt, quod ritum hunc solius Episcopi esse velit. Quorum erronea sententia ex propositis argumentis jam confutata manet.

§. CCLII.

Potestate tamen delegata et extraordinaria est etiam simplex sacerdos.

Quamvis haud ignoro, Theologos celeberrimos ejus mentis esse, ut neque Pontifici Romano potestas sit, secundi ordinis sacerdotem hujus sacramenti ministrum delegare (**), nihilominus in contrariam inducor sententiam, quod graeca et orientalis Ecclesia consuetudinem habet Schismate antiquiorem, Presbyteris

(*) Celebratum an. 455. *in causa Fausti Abbatis Lirinensis.*
(**) Ita sentiunt Guillelmus Antisiodorensis, Joannes major, Durandus, Gabriel Biel, Hadrianus VI. in operibus ante Pontificatum editis, Petrus Soto, Estius, Petrus Aurelius, Sambovius, aliique.

hujus sacramenti ministerium attribuere. Enimvero Photius in epistola Encyclica ad Orientis Patriarchas in nonnullos latinos, qui inunctos chrismate a Sacerdotibus graecis denuo confirmarunt, adeo acerbe invehere nunquam ausus fuisset, si apud ipsos sacramentum istud numquam administrassent Presbyteri; atque Latini proculdubio rei novitatem exprobrassent Photio; quod tantum abest, quod fecerint, quin etiam Ratramnus Ecclesiae Romanae causam adversus Graecos strenue defendens, scribat, Graecos suae Ecclesiae consuetudinem servare, non aliquam divinae legis auctoritatem. Accedit his, Latinam Ecclesiam a Presbyteris Graecis Confirmationis Sacramentum rite collatum nunquam improbasse, ac in Florentino concilio, quum ad unitatem recepti sunt, delegatum quod habent ipsorum Presbyteri confirmandi munus iis ablatum minime fuisse; immo compertum est in Provinciali Ruthenorum synodo (Habita est *Zamoscae* an. 1720.), per sedem Romanam confirmata juberi, repetendum non esse a Parochis graecis administratum Confirmationis Sacramentum, atque sapientissimum Pontificem Benedictum XIV. asserere (Constit. 129.), ex tolerantia quadam et facilitate Romanae sedis, sacerdotem apud ipsos Baptismi et confirmationis esse ministrum. Quid? quod Gregorius magnus qui Sardiniae Presbyteris confirmandi potestatem, quam sibi adrogaverant, abstulit (Lib. 4. epistola 9.), id munus postea, ubi deessent Episcopi, eisdem obeundum clementer indulsit (Epist. 26.)?

Scholion. Eugenius IV. in *Armenorum instructione* ex Apostolicae sedis dispensatione, urgente admodum causa, simplicem sacerdotem hoc sacramentnm administrasse affirmat. Plures etiam summi Pontifices hanc potestatem sacerdotibus concesserunt, uti Joannes XXII. Nicolaus IV., Leo X., Nicolaus V., Clemens XI., et Benedictus XIV. qui lib. 7. *de synodo* Dioec. c. 7. ait non videri, hanc potestatem, de qua olim disputatum fuit, *hodie fas esse summo Pontifici abjudicare.*

§. CCLIII.

Effectus Confirmationis.

Restat adhuc de Confirmationis effectibus. Haec etsi hominibus jam regenitis conferatur, tamen, quoniam dat Spiritum sanctum (§. CCXLV.), sanctificantis gratiae augmentum praebet, perficitque animam nostram. Porro eum in finem divina virtute ordinatam novimus, ut nos muniti, ac roborati adversus visibiles fidei hostes contemptis mundi illecebris, vel terroribus eam ore non tantum, verum etiam operibus constanter profiteri valeamus. Quem peculiarem esse ejusdem effectum Christi ad Apostolos suos verba demonstrant (Lucae ultimo 49.): *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto;* nec non haec alia (Act. I. 8): *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes;* quae non Apostolos solos, sed Ecclesiam perpetuo duraturam respiciunt (§. CCXLV.). Hinc Tertullianus hoc sacramento animam nostram muniri scribit (*de res. carnis* c. 8.). Cyprianus autem hanc gratiam *consummantem* vocat (Epist. 73.), Concilium Eliberitanum (Can. 77.) *perficientem*; Eucherius Lugdunensis (Hom. *in Pentecosten*) *confirmantem ad pugnam, et post baptismum roborantem.* Unde merito Eugenius IV. (*In decreto*) asserit: *Effectus hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi nomen confiteatur, ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus* inungitur. Verum adhuc adversus diaboli insidias nos fortes reddit (Augustinus tract. 33. in Joan.), concupiscentiae rebellis impetus frangit, praestatque, ut in Christo Jesu pie sancteque vivamus.

§. CCLIV.

Confert etiam characterem.

Alium praeterea effectum habet hoc sacramentum; quippe quod animam nostram indelebili charactere exornat, unde fit, ut semel rite susceptum iterari minime possit. Qua de causa ajebat Paulus (ad Hebr. VI. 1. 2.): *Non rursus jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum*

baptismatum doctrinae, *impositionis quoque manuum.* Quo ex loco sicuti baptisma, ita et confirmationem manuum impositione designatam iterari haud posse edocemur. Quod etiam tenent Chrysostomus (Hom. IX. in cap. VI. Epist. ad Hebr. n. 2.), Gregorius Magnus (Epist. 17. ad Felicem Messanensem Episcopum), Concilium Toletanum II. (cap. 7.). Sed characterem hoc Sacramento imprimi adhuc ex eo probatur, quod Cyprianus illud nuncupet (Epist. 70.) *Sigillum Domini*, Leo Magnus (Serm. IV. de nativ.) *signaculum vitae aeternae*, Theodoretus (*in cantica*) *sigillum*, *notamque Regiam.* Cyrillus Hierosolymitanus (*in fine protocat.*) Spiritus sancti *signaculum indelebile*, Augustinus vero haec habet (Lib. II. *contra lit. Petil.* cap. 105.): *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est*, *sicut ipse baptismus*, *sed potest esse et in hominibus pessimis.* Porro quum in scelestis hominibus gratia non adsit, nil aliud habere ii queunt, nisi indelebilem notam, quam characterem nuncupamus.

CAPUT III.

De Eucharistia.

§. CCLV.

Eucharistia, qua nihil praestantius est, et magis angustum, gratiarnm actionem significat. Quo nomine ideo nuncupatam novimus, eo quod Christus gratias Patri ageus, Sacramentum hoc instituit (I. ad Corinth. XI. 24.); tum, quoniam fidelibus sub panis, vinique speciebus corpus sanguinemque Christi Domini recipientibus, ii quam possunt maximam, Deo rependunt gratiarum actionem. Ob summam autem hujus Sacramenti dignitatem, virtutemque nominibus pluribus insignitur. Enimvero, quoniam Christus Eucharistiam instituendo panem benedixit (*Matth.* XXVI. 26.), ideo Sacramentum *benedictionis* vocatur. Mensa etiam Domini dicitur (I. *ad Cor.* X. 21.) quoniam coeleste convivium est, in quo corpore, ac sanguine Domini nutrimur, et pascimur; **De nomine Eucharistiae.**

at mensam hanc altare vocat ad Hebraeos scribens Paulus (XIII. 10.). Tum *fractio panis* (*I. ad Cor.* X. 16.), *panis supersubstantialis*, *panis vitae*, *panis Angelorum* dici solet, immo etiam *μετάληψις*, et *κοινωνία*. *Nuncupatur participatio*, ut explicat Damascenus (*De fide orthodoxa* lib. IV. cap. 13.); *quia per ipsam Divinitatis Jesu participes reddimur*; *communio item appellatur*, *et revera est*, *quia per eam Christo communicamus*, *ac copulamur*; tum *σύναξις* sive collectio, quoniam in publicis Ecclesiae coetibus administratur. Tandem *ipsum bonum*, a Basilio (*Epist. ad Amphilochium*), *ipsum perfectum*, *viaticum*, *Sanctum Domini*, *pretium nostrum*, *Sacramentum Sacramentorum*, *gratia vitae*, et frequenter ab antiquis *corpus*, *et sanguinem Domini* appellatam esse dubio caret.

§. CCLVI.

Ejusdem definitio. Est autem Eucharistia *Sacramentum*, *in quo sub panis vinique speciebus vere*, *realiter*, *substantialiter corpus*, *et sanguis Christi continetur ad spiritalem animarum nostrarum refectionem*. Verum esse diximus Evangelicae legis Sacramentum, quum Eucharistia res sit subjecta sensibus, quae gratiae significandae, et efficiendae vim habet. *Vere* autem, *realiter*, et *substantialiter* corpus ibi, et sanguinem Christi contineri, cum Patribus Tridentinis (Sess. XIII. c. 1.) asseruimus. Nam quum dicimus *vere*, Eucharistiam non esse purum signum, et figuram corporis, et sanguinis Christi ostendimus: *realiter*, quo declaramus, Christum non haberi, et recipi in Eucharistia per solam fidem: *substantialiter*, unde percipimus non esse in hoc Sacramento Christi corpus per solam energiam, ac virtutem ab ipso Salvatore diffusam, quorum explanatione varias heterodoxorum cavillationes, et subterfugia dignoscere facile queas.

§. CCLVII.

Institutio. Res est omibus explorata, Christum Dominum imminente passionis suae tempore, atque in ultima coena Eucharistiae Sacramentum instituisse. En quomodo rei gestae seriem narrat Apostolus Paulus (*I. ad Corint. XI. Confer Matthaei XXVI. Marci XIV.*

Lucae XXII.) : *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter, et calicem postquam caenavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem.*

§. CCLVIII.

In hujus institutione sacramenti, maximum ac ineffabilem, quo erga homines flagrabat, amorem ostendere voluit : ut enim Joannes habet (XIII. 1.) : *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Atque profecto beneficentiam, ac caritatem suam fere exhausit, cum semetipsum in cibum potumque relinquere fidelibus suis placuit. Sed eum quoque proposuit sibi finem, ut dum aut conficitur, vel sumitur augustissimum hoc Sacramentum, passionem mortemque suam, cui ad nos Patri reconciliandos sponte se obtulit, in memoriam revocaremus (I. *ad Corinth.* XI. 26.). Voluit insuper, ut ea futurae jucunditatis, et gloriae, qua perfruemur in coelis, pignus esset : nam ut ipse Salvator nos certos reddit, *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* (Joan. VI. 55.). **Finis institutionis.**

§. CCLIX.

Illud autem Eucharistiam inter, et reliqua Sacramenta occurrit discrimen, quod caetera, quum alicui administrantur, tunc solum conficiuntur ; at in Eucharistia, quando sensibile consecratur signum, Sacramentum jam existit, etsi nemini distribuatur; immo sacramentum esse non desinit, si etiam ad diuturnum tempus conservetur. In eo adhuc a caeteris discrepat, quod aliorum sensibile elementum suam haud deperdat naturam, quod tamen evenit in Eucharistia, quum panis vinique substantia in corpus, sanguinemque Christi immutetur. **Hujus discrimen a reliquis Sacramentis.**

§. CCLX.

Res hujus Sacramenti est panis triticeus.

Signum sensibile, unde Eucharistia conficitur, panem esse, ex sacramenti hujus institutione (§. CCLVII.) luce meridiana clarius evincitur; hunc autem ex frumento, vel tritico confici debere Christi Domini exemplum nos edocet; atque ex Ecclesiae traditione fit manifestum. Enimvero ex Imperatorum pietate Ecclesiis Lybiae, qua in provincia frumentum haud nascebatur, illud ad Eucharistiam praesertim conficiendam subministratum fuisse evincit libellus Ischyrionis Diaconi PP. Chalcedonensibus exhibitus (Vid. Fleury. *hist. Eccl.* lib. XXVIII. §. 13.), quod non minus concilii Florentini sanctione (*In decreto unionis*) definitum fuisse novimus.

Scholion. Abominandum, quem habebant Gnostici et Manichaei Eucharistiae conficiendae modum recensent Epiphanius *haer.* XXVI. n. 4. et 5. et Augustinus *haer.* XLVI. quibus adjungendi sunt nonnulli Montanistae, de quibus Augustinus *haer.* XVI. Prava etiam fuit Artorytarum consuetudo, qui cum pane caseum in sacrificio offerebant. Reprehendendi non minus sunt Jacobitae Syri, qui oleum admiscent pani; cujus superstitionis imitatores, aut auctores primi fuerunt Nestoriani. Vid Renaudotium *comment. ad liturgiam Copticam S. Basilii.* Rejicimus quoque Theodori Bezae *ep. II. ad Tilium*, et Vossii *disp. XIX de sacris caenae Dominicae symbolis thesi* 7. sententiam, qui ubi triticum non est, posse Eucharistiam confici ex quolibet usitato panis genere, veluti loto, palma, Asphodelo, rapis, cucurbitis, affirmat. Non enim ad Sacramentum sufficit, ut ii contendunt, analogia cum effectu spiritali, sed res illa exigitur, quam Christus instituit (§. CCXXVI.). Perperam idem Vossius th. I. affirmat hostiolas in Ecclesia Romana usitatas panis loco haberi non posse. Nam ad panis naturam sufficit, ut massa sit ex aqua, et farina coalescens, et cocta, quod in parvis hostiis etiam habetur. Caeterum synodus Toletana XVI. desinente saeculo VII. celebrata decernebat, ut consecrandus panis non sit *Grande aliquid*, *sed modica tantum oblata*, *ut Ecclesiastica consue-*

tudo recantat. Panes etiam pro Eucharistia tenues antiquitus fuisse ostendit Cl. Mabillonius *praef. in 3. saec. Benedictinum*, et dissert. *de azymo et fermentato*: immo Buddaeus *exerc. hist.* de *symbolis Eucharisticis* scribit: *Salvator ipse usus est placenta rotunda, et prorsus tenui, quales in usum Paschatis confici solebant.*

§. CCLXI.

Altas ingeminabant querimonias Graeci Schismatici adversus Romanam Ecclesiam ob azymi usum, neque in eo Eucharistiam confici posse asserebant (*). Attamen spiritu potius partium abrepti, quam rei ducti veritate Latinum morem accusabant. Nam Christum Dominum in azymis Eucharistiam instituisse mihi inde persuadetur, quod Matthaeus (Cap. XXVI. 17.) cui Marcus, et Lucas consonat (XIV. 12. XXII. 7.) scribat: *Primo autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* qui locum constituens, omnibusque Apostolorum opera paratis, vespere cum iis discumbens Eucharistiam instituit (Matth. XXVI. 18. seq.). Porro in Moysis lege mandatum erat, ut septem diebus comederetur azymus, atque primo die in domibus fermentum nullum esse debebat, atque quisquis de eo comedere ausus fuisset, anima ejus de Israel perire debebat (Exod. XII. 15. 18. 19.). Itaque, quum Christus Eucharistiam eo instituerit tempore, quo nullum esse poterat in domibus fermentatum, dubium non est in pane azymo Eucharistiam confecisse. Quod si non curato legis praecepto fermentatum panem habuisset Christus se- Sive azymus.

(*) Michael Cerularius Constantinopolitanus Patriarcha in Romanam Ecclesiam animatus in litteris ad Joannem Tranensem Episcopum ob azymi usum vehementer Latinos increpabat; Marcus etiam Ephesius, aliique post Florentinum concilium ad Schisma revoluti idem praestabant. Hieremias Constantinopolitanus Antistes in censura adversus confessionem Augustanam, Eucharistiam in azymo confici non posse asserebat. Adversus azymi usum insurgunt etiam, ex orientalibus plures, de quibus Renaudotius *litur. orient.* tom. I. p. 190. et tom. 2. p. 64. seq.

cum, atque in eo Sacramentum hoc instituisset, Judas proditor id indubie Sacerdotibus manifestasset, qui hanc ad ipsum cruci damnandum causam procul dubio praetexuissent.

Scholion. Christum Dominum Pascha legale haud celebrasse omnium primus existimavit Marcion ab Epiphanio *haer.* 42. confutatus; tum Joannes Philoponus Eutychianus, et Tritheitae *in disputatione de paschate*; eamdem multi Graeci Schismatici sententiam adoptarunt; Latinorum nonnulli, et quidem posterioris aetatis in eundem scopulum impegerunt, ut Nicolaus de Villa Gagnonis, M. Antonius de Dominis, Grotius in c. XXVI. Matthaei, Arminiani, ac Sociniani. Quam sententiam pluribus communire studuit P. Amicus Lamy in sua Harmonia Evangelica, ac in multis hac de re editis dissertationibus, cui assensum praebuere Tourneminius, Calmet, Toinardus, aliique. Cave tamen, ne credas catholicos hos Scriptores concedere Graecis, Christum in fermentato Eucharistiam celebrasse; sed eorum doctrina est, etsi Christus pascha legale non celebravit, panem fermentatum, quum Sacramentum instituit, jam a domibus fuisse sublatum. At Graecis opponimus Photium, qui auctoritate Chrysostomi ductus, dum codicem cujusdam anonymi 116. recenset, Christum Pascha legale comedisse tenet. Ne vero Lamyi argumentis fidem praestemus, nos praeter alia movet Concilii Tridentini auctoritas *Sess.* 22. c. 1. ubi decernitur, quod Christus celebrato veteri paschate, quod in memoriam exitus de Egypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit. Varias, quas tenent Theologi praestantissimi sententias de tempore celebrationis paschatis recensent Witasse *de Euchar.* Berti lib. 33. c. 1.

§. CCLXII.

Quod ulterius demonstratur.

Porro usum azymi in Ecclesia latina jure meritoque retineri demonstratur, eo quod hujus initium nec in Conciliorum canonibus, nec in SS. Patrum operibus apparet; tum quod Leo IX. Romanus Pontifex (Epist. *ad Michaelem Cerularium*), et Cardinalis Humbertus jam a primis Ecclesiae incunabulis

azymos panes in usu fuisse affirmaverint. At vero quis dicat praeclarissimos hosce saeculi XI. Scriptores, in hac controversia cum Graecis expertissimos, aut adeo insipientes fuisse, ut quod non multo ante incoeperat, a mille, et amplius annis usitatum dicerent, aut adeo temerarios, et mendaces, ut Graecis imponere vellent? Usus itaque azymi in Ecclesia Latina antiquissimus, necnon ad Christi exemplum retentus (§. praec.) immerito a Graecis Schismaticis carpitur.

Scholion. Syrmondus in disquisitione de azymo c. 3. Photiani Schismatis tempore azyma nondum receptum fuisse contendit: at perperam. Alcuinus enim, qui an. 780. floruit, *epist.* 69. ait: *panis, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus*; subditque eundem ex aqua confici, et farina. Rabanus Moguntinus, qui triennio ante Photium intrusum obiit, lib. I. *de eccl. officiis* c. 31. haec habet. *Ergo panem infermentatum, et vinum aqua mixtum in Sacramentum corporis, et sanguinis Christi sanctificari oportet.* Confer dissertationem Mabillonii *de azymo, et fermentato* c. IX. nec non, quod de ea tulit Thomassinus *judicium*. Idem Mabillonius *praef. in III. saec. Benedict.* judicat Apostolos azymum, et fermentatum panem promiscue in usum assumpsisse, tum Latinos ad Christi exemplum azymo, Graecos vero fermentato usos fuisse. Pro usu perpetuo azymi in Latina Ecclesia stant Cabassatius in *not. Eccl. saec.* II. dissert. 12. Christianus Lupus August. *in dissert. de S. Leonis IX. actis*, Ciampinus, aliique. Ejusdem sententiae est inter Lutheranos Buddaeus in *parergis hist. Theol. exerc. hist. de symbolis Eucharisticis*. Observatione non minus dignum est, quod Ludolphus *comment. in hist. Æthyop.* scribit: Æthyopes feria V. in coena Domini ad Christi imitationem conficere in azymis Eucharistiam, quem morem viguisse aliquando apud Alexandrinos sive Melchitas, sive Jacobitas judicat Le Quien *dissert. VI. Damasc.* §. 34.

*

§. CCLXIII.

Schismaticorum argumenta.

Graeci Schismatici affirmantes azyma licitum haud esse, his argumentis praecipue innituntur. I. inquiunt, Christus Eucharistiam instituens panem accepit τὸν ἄρτος; ἄρτος autem idem est, ac sursum elevatus, quod tantum vi fermenti contingit. II. Christus sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, qui Abrahae, sociisque ejus fermentatum panem dedit. III. Concilium Trullanum vetat, ne Christiani Judaeorum azyma comedant, atque jam Ebionitae hanc ob causam damnati fuerunt. Quamobrem azymi usus invalidus est.

§. CCLXIV.

Enodantur.

At toto tramite Schismatici a veritate aberrant. Quandoquidem vero similius est vocem ἄρτος derivari ab αἴρω significante προσφέρω, quod idem est, ac *affero*, *offero*, *adhibeo*, quo sensu accipitur etiam ab Homero (In Iliade V. 264.). Potest non minus ab ἄρω deduci, uti sit ἄρτος cibus corpori congruus. Sed invictum pro nobis momentum est, quod 70. Interpretes fermentatum non minus, quam azymum panis nomine donant (Exod. XXIX. 2. Jud, VI. 20. et alibi non raro); atque Matthaeus (XII. 4.), Davidem τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως panes propositionis, qui absque fermento ex legis praescripto erant (Lev. II. 4. 5.) comedisse narret. Accedit his, Theodoretum (In cap. X. Danielis) inscitiae eos redarguere, qui azymum panis nomine haud nuncupandum volunt. Quem autem panem Abrahae obtulerit Melchisedech, non poterunt adversarii facile demonstrare: scimus hebraice לחם haberi, quae vox promiscue pro azymo ac fermentato accipitur. Caeterum similitudinis ratio inter Christi et Melchisedech sacerdotium in eo tota consistit, quod sicut iste in pane, et vino, ita et Christus in utroque novae legis sacrificium debebat instituere. Paris futilitatis est, quod ex concilio Trullano depromptum fuit. Nam, etsi horum Patrum magna haud habenda sit ratio (§. CXXIV.), tamen ii solum vetant., ne quis victum, ac familiaritatem cum Judaeis habeat, neve azyma ab iis suscipiat. Sed quid haec adversus usum azymi in Eucharistia? Ebionitae vero damnati fuerunt, eo quod

Evangelicam legem absque legalibus ritibus haud sufficere ad salutem opinabantur; immo Epiphanius de iis sermonem instituens (Haer. XXX.), inquit: *Mysteria vero perficiunt ex imitatione Sanctorum quotannis in azymis ; alteram vero partem in aqua solum.*

Scholion. Graeci prudentiores usum azymi in Ecclesia Latina non reprobant. Immo Theophylactus orat. ad *Nicolaum Diaconum* eos, qui intemperanti zelo plures Latinae Ecclesiae ritus, azymorumque reprobabant usum, redarguit. Theorianus Philosophus in Epistola, quam Leo Allatius scriptam *dicit ad Sacerdotes in montibus degentes*, azymum apud nos vigentem egregie defendit. Barlaamus Hieracensis Episcopus *Epist. ad Graecos*, Latinos vocat prudentiores, eo quod fermentati apud Graecos usum venerantur. Gregorius Protosyncellus *in apol. adversus Epistolam Marci Ephesii* ἀδιαφορῶν vel in aymo, vel fermentato pane Eucharistiam conficere asserit. Arcudium praetereo, et Allatium, qui morem Latinorum strenue propugnarunt.

§. CCLXV.

Verum tametsi pro inveterato azymi usu pugnent Latini, nihilominus fermentato pane licite Graecos uti posse consensu unanimi affirmant. Quandoquidem Salvator Eucharistiam instituens accepit panem, qui sive azymus, sive fermentatus sit, panis naturam non amittit. Nec magna caret verosimilitudine, Apostolos ipsos pro datis circumstantiis nunc uno, nunc altero modo Eucharistiam celebrasse; quo fit, ut Ecclesia utraque Apostolorum exemplo edocta morem suum servare valeat; unde etiam Pius V., et Benedictus XIV. Graecos, et Latinos proprio ritu Eucharisticum panem consecrare jubent.

Sive fermentatus.

Scholion. Usus tamen azymi videtur magis conveniens *ob insigniorem exempli Dominici commemorationem*; tum quia Apostolus I. *ad Corinth.* V. 8. scribit: *Itaque epulemur non in fermento veteri.... sed in azymis sinceritatis, et veritatis.* Vid. Wala-

fridum Strabonem *de rebus Eccl.* Ivonem Carnutensem *Serm. de convenientia veteris et novi Sacrificii.*

§. CCLXVI.

Eucharistiae res altera est vinum.

Alteram Eucharistiae conficiendae partem esse vinum, ex ejusdem institutione manifestum est. Nam quod in calice consecravit Christus, illud *genimen vitis* a Matthaeo vocatur (XXVI. 29.). Hinc est, quod Patres, ac concilia de Eucharistiae sensibili signo instituentes sermonem cum pane vinum commemorant; quod etiam euchologici Latinorum, Graecorum, et Orientalium libri praescribunt. Quamobrem errasse convincuntur, quotquot vel vino liquorem alium substituerunt, vel substitui posse affirmarunt.

Scholion. Ebionitae in aqua consecrabant (§. CCLXIV.), tum Tatianus et ex eo orti Encratitae, nec non Manichaei, qui vinum veluti daemonis donum execrabantur. Acta S. Wolfgangi narrant quosdam fuisse Sacerdotes ob vini penuriam in aqua vel aliis liquorum generibus celebrantes, quorum sacrilegam mysteriorum profanationem amare deflebat, vetavitque S. Episcopus. Vide Martene *de antiquis Ecclesiae ritibus lib.* I. c. 3. *art.* 7. Æthyopes, ut narrat Alvarez, ex uvis fere siccis diebus decem in aqua infusis, succo inde expresso, quod plus aquae continere videtur calicem consecrant. Ex Acatholicis autem vinum haud esse necessariam hujus Sacramenti partem perperam arbitrati sunt Vossius disp. XXII. *de sacris Dominicae symbolis* th. 3. Theodorus Beza, Melanchton, Calvinus ipse, ut scribit citatus Beza *Epist.* 25.

§. CCLXVII.

Cui aliquantulum aquae miscendum est.

Vino tamen aquae paululum admiscere, etsi nullum adsit a Christo latum praeceptum, Ecclesia tamen jam a vetustis temporibus jubente tenemur. Enimvero Justinus Martyr inquit (Apol. II.): *panis offertur, et vinum, et aqua.* Irenaeus (Lib. V. c. 2. n. 3.) calicem mixtum vocat. Auctor Constitutionum Apostolicarum (Lib. VIII.): *similiter et calicem ex vino et aqua.* Cyprianus in rem nostram testis est disertissimus (Epist. ad Caecilium). Con-

sonant Augustinus (Tract. 120. in Joan. n. 2.), Concilium Chartaginense III., Trullanum, Aurelianense IV., Tridentinum oecumenicum (Sess. XXII. c. 7.). Accedit omnium Ecclesiarum consuetudo, si Armenos tantum excipias (Vid. Renaudotium tom. I. *liturg. Orient. comment. ad liturgiam Copticam S. Basilii p. 194.*). Quo fit „ ut judicem hallucinatos fuisse Anselmum Havelsbergensem, Magistrum sententiarum, nonnullosque alios Scholasticos arbitratos, Graecis in usu minime esse aquam vino in calice miscere ; nisi ii fortasse Graecorum nomine, solos Armenos intellexerint.

Scholion. Lutherus in scripto contra Henricum Regem Angliae affirmat perperam, tutius esse, aquam non miscere vino ; sed Chemnitius, et Buddacus lib. 5. c. 1. §. 14. rem esse, quam pro lubitu quis retinere vel praetermittere possit, contendunt. Calvinus aquae mixtionem *in* Eucharistico calice nunquam praescribit ; immo Richerius Calvinista hanc admixtionem vocat impudenter haeresim. Turretinus loc. 19. quaest. 22. §. 6. insinuat Christum vinum solum adhibuisse ; tamen usum hunc esse prorsus indifferentem ; increpat tamen Ecclesiam Catholicam, quod sub gravi culpa admixtionem hanc praescribat. At ipsemet erroris convincitur. Quandoquidem, quid Christus egerit a primitivae Ecclesiae Patribus magis, quam a Turretino discere possumus ; tum Ecclesiae praeceptum antiquitatis usu comprobatum contemni posse, quis prudens dicet unquam ? An bona esset Reipublicae forma, in qua subditi pro arbitrio suo promulgatas leges spernere possent ?

§. CCLXVIII.

Verba consecrationis.

Salvatorem ipsum verba proferendo : *Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus* (Matth. XXVI. 26. seq.), panem vinumque consecrasse communis fere est Theologorum doctrina, quam vel a priscis Ecclesiae saeculis viguisse apparet ex Tertulliano scribente (Lib. 4. *contra Marcionem* c. 40.) : *Accepit* (Christus) *panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo.* Cui concinunt Ambrosius (*de Myst.* cap. 9. n.

52. et 54.), Joannes Chrysostomus, Jo. Damascenus (Hom. II. in 2. Epist. ad Timot.). Jam vero quum verba Sacramentalia vim obtineant omnem ex Divina institutione (§. CCXXVI.), atque Christus ipse Apostolis in mandatis dederit, ut quod ipse gessit, hoc ii facerent in suam commemorationem (Lucae XXII.); Dominicis jam commemoratis verbis Eucharistiam conficiendam esse, prudens nemo dubitaverit. Magnum accedit argumento robur ex Ecclesiae consuetudine. Quandoquidem Latina pronuntiatis iis verbis Christum Dominum fidelibus adorandum proponit. Graeci etiam Presbyteri, et Diaconi prolatis Domini verbis ter adorant; ac adstans populus *Amen* respondere solet, quod ab Hebraeis desumptum adverbium sonat, *vere ita est* (*In liturgia S. Jo. Chrysost.* p. 77. adisis etiam Goarium *in notis* p. 138.). Quo fit, ut licet Greci magnam etiam vim Spiritus sancti invocationi tribuant, nihilominus existiment ii, verbis Dominicis fieri consecrationem. Eadem mens est S. Irenaei (Lib. V. c. II. n. 3.), Gregorii Nysseni (*Orat. Catech.*), Chrysostomi (*Hom. de prodit. Judae.*), Concilii Florentini (*In decreto unionis*), et Tridentini (Sess. XIII. c. 1.).

Scholion. Innocentius III. in operibus ante adeptum Pontificatum conscriptis, Christum ob summam, quam habebat potestatem, et excellentiam, Eucharistiam nullis prolatis verbis consecrasse asserit, quam tamen sententiam opinando tantum propugnasse scribit S. Thomas 3. p. q. 18. art. 1. ad 1. Innocentio adhaeserunt Catharinus, ac nonnulli alii Scholastici.

Quae Graecorum sit, et Orientalium de consecratione Eucharistiae sententia varium est eruditorum judicium. Sunt, qui arbitrantur Cabasilam, Marcum Ephesium, nonnullosque alios Graecos Schismaticos verbis Domini nullam consecrandi vim dedisse, sed solis precibus, ac praesertim invocationi Spiritus sancti; ejusdemque sententiae esse Orientales putat Richardus Simonius *in notis ad Gabrielem Philadelphiensem*, cumque a Fausto Naironio excerpta quaedam Orientalium liturgiarum, in quibus Christi verba deerant, accepisset, rem esse certissimam judica-

vit. Verumtamen liturgias illas Amanuensium incuria vitiatas esse persuasum habeo, cum omnes latinae, ac graecae liturgiae, sex Coptitarum, duodecim Aethyopum, Nestorianorum tres, Syrorum plus quam triginta Christi verba constantissime retineant. Neque verum est, memoratos Graecos arbitratos fuisse, verborum Christi nullam habendam esse rationem, ut manifestum est ex expositione liturgiae facta per Cabasilam, et ex opusculo Marci Ephesii, cui titulum fecit: *Non solis verbis Dominicis Eucharistiam consecrari*. Atque oppositae omnino sententiae sunt Gregorius Protosyncellus *in epitome Mysteriorum*, ejusque Magister Coressius. Vid. Renaudotium tom. II. *Liturg. Orient. observ. in liturgias Syriacas* p. 83. de Graecorum sententia, Le Quien *annot. ad cap. 13. lib. IV. Jo. Damasceni*, Bona *lib. II. cap. 13. liturg.* Martene *lib. I. cap. 4. art. 8. de ant. Eccl. rit.* Le Brun tom. IV. *expl. Missae*, Muratori *diss. de reb. liturg.* c. 20. Bessarionem, Arcudium, Allatium, Renaudotium comment. *ad liturgiam Copticam S. Basilii*, quo cum tamen conferas, quae tom. 18. Conc. Labbaei curante *Coleto* leguntur p. 539.

Ex his palam fit reprobandas esse diversas heterodoxorum sententias. Bucerus in *cap.* 26. *Matth.* verba haud esse necessaria contendit. Calvinus lib. 4. *instit.* c. 17. verba Christi vult quidem pronuntianda, sed ad fidem tantum in auditoribus excitandam. Turretinus *de sacra coena* cap. 23. asserit veram symbolorum consecrationem fieri per benedictionem distinctam a verbis Sacramentalibus. Vossius *de sacris coenae Dom. symbolis disp.* 20. th. 2. contendit consecrationem non solis verbis Dominicis fieri, sed etiam precibus, atque adeo actione tota, quatenus tum a ministro, tum a communicantibus fit secundum institutionem Christi. Consecrationem tamen sensu vero non accipiunt Calviniani, sed eam intelligunt, per quam symbola ab usu profano transferuntur ad sacrum. Lutherani, ut testatur Buddaeus *de bap. et sacra coena* lib. V. cap. 1. §. 13. non ejusdem mentis sunt, alii preces adjungendas censent verbis consecrationis, nonnulli consecrationem in ipsis verbis institutionis constituunt, ita ut tamen ad effe-

ctum consequendum totam actionem Sacramentalem necessariam esse arbitrentur.

§. CCLXIX.

Quis minister Eucharistiae.

Verum non Christianus quilibet, sed ii tantum, qui per legitimam ordinationem sacerdotali dignitate decorantur, hujus Sacramenti ex Christi institutione sunt administri. Apostolis enim solis, eorumque in sacerdotio successoribus Salvator dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* (I. ad Corinth. c. XI. 24.); quod perpetuus non minus Latinae, graecae, et orientalis Ecclesiae ostendit usus; secundum quem sacra celebrare mysteria nequit, qui ab Episcopis ad id obeundum munus non fuerit ordinatus; atque si nonnemo hanc divinam legem temerare tentavit, audaciam ejus compescuit Ecclesia. Insigne habemus hujus rei exemplum. Colluthus Presbyter Ischyram, nonnullosque alios sacerdotio initiaverat, ejus autem ordinationes irritae, nullaeque in concilio Alexandrino Osio praeside declaratae fuerunt (Fleury *hist. Eccl.* lib. X. §. 43.). His adde, fideles persecutionis tempore Eucharistiam a Presbyteris confectam domum tulisse; immo Sacerdotes magno cum vitae periculo adiisse carceres ut Martyribus ibi detentis Eucharistiam conficerent, distribuerentque (Cyprianus Epist. V.); quod profecto haud fuisset factum, si Christianus quilibet urgente etiam necessitate Sacramentum hoc conficere posset. Eandem veritatem notam faciunt Patres concilii I. Arelatensis, (*) Nicaeni I. (Can. XVIII.), Lateranensis IV. (Can. I.), et Tridentini (Sess. XXII. c. 1.).

Scholion. Marcus praestigiator, et haereticus, de quo Irenaeus lib. I. cap. IX. mulieribus consecrandi calicem potestatem dabat, uti etiam Pepuziani, et Collyridiani. Waldenses Laicos, qui probi essent, conficere posse Eucharistiam autumabant. Lutherus in *lib. de abroganda Missa* sacerdotium Christianis omnibus tribuebat; ad confusionem autem

---

(*) Celebr. an. 314. vetuit, ne Diaconi Eucharistiam offerrent.

devitandam iis tantum concedit usum, qui *consensum communitatis* habent vel *vocationem majoris*. Hospinianus lib. *I. hist. sacr.* c. 23. arbitratur, Diaconos sacerdotibus absentibus potuisse Eucharistiam consecrare. Calvinus ejusque asseclae, etsi Presbyteratus retineant nomen, tamen quum Episcopis careant, nec veros sacerdotes per legitimam ordinationem habere possunt. Confer, quae dixi de Sacramentis in genere c. IX.

§. CCLXX.

Praesentia realis Christi in Eucharistia ex verbis promissionis I. ostenditur.

Quam benefica, provida, sapientissima sunt Domini consilia! Christus amore adversus humanum genus exardens, non tantum pro nobis suum sanguinem volebat effundere; sed etiam prodigio plane inaudito semetipsum in cibum, et potum sub panis vinique speciebus relinquere constituebat. Jamvero ad praeparandos huic veritati discipulorum suorum animos, antequam Eucharistiam institueret, ejusdem splendidam dedit promissionem, unde realis ejusdem praesentia in hoc Sacramento luculenter ostenditur. Attamen cum res tanta, nisi ab eo, qui omnipotenti virtute praeditus est, fieri queat, eadem se exornatum esse pluribus declaravit. Ac primum quinque panibus, ac piscibus duobus, quinque fere hominum millia satiavit, residuis duodecim fragmentorum cophinis (Joann. VI. 13.); tum per maris undas ambulantem se discipulis praebuit (Ib. 19.); e coelis se descendisse affirmat, ac tanta praeditum potestate, ut omnis, qui in ipsum credit, aeternam vitam habeat; immo se eum in die novissima ad vitam revocaturum spondet (Ib. 38. seq.). Quibus in eum finem expositis, ut eorum, quae dicturus erat, fidem sibi conciliaret, ad Eucharistiae venit promissionem. *Panis*, inquit (Ib. 52. seq.) *quem ego dabo, caro mea est* (ὃν ἐγὼ δώσω quam ego dabo) *pro mundi vita.* Quod Judaeis, quum haud possibile videretur, tantum abest, ut Jesus sua verba metaphorice exponeret, ut subdat: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam. . . Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est po-*

tus. Neque haec de spiritali ac metaphorica corporis, et sanguinis sui comestione accipi possunt; cibum enim, ac potum a spiritali, ac metaphorico secernendum esse, ignorat nemo. Errant etiam, qui judicant, de sola fidei necessitate Christum habere sermonem; enimvero Salvator, quod nondum auditores sui habebant, ipsis spopondit. At fidem in Christum non panci jam habebant, asserente Petro aliorum etiam Apostolorum nomine (Ib. 70.): *Et nos cognovimus, et credidimus, quia tu es Christus filius Dei.* Itaque cum de Eucharistia laudatis in verbis occurrat sermo, atque suam veram carnem, et sanguinem in cibum, et potum daturnm spondeat, palam fit ex promissionis verbis demonstrari Christum vere, et proprie in Eucharistia esse praesentem.

Scholion. Realem in Eucharistia Christi praesentiam inficias iverunt juxta ipsorum principia Phantasiastae, ut ex Ignatio Martyre *epist. ad Smyrnaeos* elucescit. Manichaei, eorumque surculi Pauliciani, Cathari, Henriciani in eodem luto pedem figebant. Accessit his Joannes Scotus Erigena, quem nonnulli Acatholici cum Joanne Abbate Ethilingesi perperam confundere ostendunt Mabillonius sec. IV. *Bened.* p. 2. *duaeque dissertationes*, quae occurrunt tom. I. *perp. fidei* lib. 12. Berengarius an realem praesentiam, an transubstantiationem tantum negaverit non conveniunt eruditi, at de hac postrema tantum male sensisse authores sunt Mabillonius praef. ad saec. VI. et Martene *in thesauro novo anecdotorum* tom. 4. p. 107. Jo. Moshemius *inst. hist. Eccl. saec. XI.* p. 2. c. 3. §. XIII. in Schol. contendit Berengarium realem praesentiam repudiasse; atque cum eo in universum sensisse Gregorium VII. hallucinatur; nam, quae profert suae opinionis momenta ex Berengarii deprompsit scriptis, quibus plenam fidem exhibendam non esse asserit laudatus Martene *observ. praevia ad acta Concilii Romani sub Gregorio* ab ipso Berengario conscripta. Verum si diligenter conferas, quas sub laudato Pontifice fidei professiones Berengarius edidit; eum ad praesentiam realem, et ad transubstantiationem admittendam adactum fuisse comperies. Quod contigisset numquam, si ejusdem cum

Berengario mentis Gregorius fuisset. Qnantum ad Wicleffum attinet, eum pugnantia de reali praesentia scripsisse videtur; at transubstantiationem certe negavit. Carlostadius tamen, Zwinglius, Bucerus, quamvis tamen iste formulae Lutheranorum Wittembergicae subscripserit, Calvinus, ejusque asseclae, Arminiani, Sociniani hujus dogmatis hostes sunt infensissimi. At Lutherus praesentiam Christi realem, sed una cum panis, vinique substantia admittebat.

§. CCLXXI.

At Calviniani de Eucharistia apud Joannem sermonem non esse hermeneuticis regulis se ostendere posse fidenter affirmant. Scripturae verba, ajunt, juxta totius capitis contextum interpretari debent. Porro quis ignoret laudato in capite de sola fidei in Christum necessitate ac efficacia haberi sermonem? Id patet ex v. 25.: *Hos est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille: ego sum panis vitae; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam.* Sed qnid, addunt, plura quaerimus? Christum Dominum de sola spiritali manducatione fuisse loquutum, haec verba demonstrant (vers. 64): *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba quae loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Perperam itaque faciunt, qui ad praesentiam Christi realem in Eucharistia verba Christi detorquent. **Objectiones.**

§. CCLXXII.

Quibus reponere satis sit: hospitem esse in sacris libris, qui nesciat in eodem etiam capite ab una re ad aliam non raro transire sermonem. Quod profecto memorato in loco contingit, ubi capitis initio admiranda panum multiplicatio describitur, tum ad fidei necessitatem virtutemque fit transitus; inde apposite ad Eucharistiae promissionem Christus descendit: quippe quae mysterium adeo sublime est, ut absque fide concipi nequeat. Quamobrem auctoritates objectas de fide intelligendas esse fatemur; attamen a versu 52. incipiendo Eucharisticum Sacramentum, quod verum corpus et sanguinem suum continet, Salvatorem promisisse, jure meritoque contendimus. Nec alterum **Dissolvuntur.**

nos multum movet, quandoquidem duo ex Christi verbis discipuli, ac Capharnaitae intellexerant, quorum unum confirmavit, reprobavit alterum. Quod Christus carnem suam in cibum daturus esset, ii intellexerant (vers. 53.), quod tantum abest, ut in iis reprehenderit, quin pluribus nitidissimisque verbis ipse constabilivit (vers. 54. seq.). Verum errabant illi in modo, perperam arbitrati, Christum suam carnem in frusta daturum dentibus comminuendam; pravam hanc intelligentiam ipse correxit ajens: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam:* eo namque sensu, quo illi rem perperam accipiebant. Caeterum carnem Christi in se spectatam prodesse, fateri debent Calviniani, si salvum esse velint Incarnationis mysterium.

Scholion. Vide Augustinum haec clare explanantem tract. 27. in Joan. nec praetermittas Concilii epistolam ad Nestorium lectam et approbatam in concilio oecumenico Ephesino *Collect. Conc. Labbaci curante Coleto* tom. III. p. 951.

§. CCLXXIII.

Praesentia realis demonstratur II. ex verbis institutionis.

Christus Dominus Eucharistiam instituendo dixit: *Hoc est corpus meum, hic sanguis meus novi testamenti* (§. CCLVIII.): verba haec in sensu proprio ac naturali declarant, id quod Christus in manibus tenebat, distribuebatque, suum esse verum corpus et sanguinem. Porro a proprietate verborum haud esse discedendum non pauca sunt, quae demonstrant. Ac primum: Apostoli ab ipso veritatis magistro edocti erant, quam largiri volebat, suam carnem esse, atque hanc habendam uti verum cibum, ejusque sanguinem verum potum (§. CCLXX.); unde consequitur, quod audientes ii dicentem Christum *hoc est corpus meum*, integram fidem ei praestare debebant. Accedit, ab ipso Christo praemonitos fuisse Apostolos, se in parabolis nolle amplius eis loqui (Joan. XVI. 25.), unde et ajebant discipuli (Ib. v. 29.): *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis: in hoc credimus, quia a Deo existi.* Itaque cum appropinquante passionis suae tempore absque

figuris loqui professus sit Dominus, institutionis verba in sensu proprio procul dubio sunt accipienda.

Scholion. Non leve est pro veritate catholica argumentum inconstantia eorum et dissonantia, qui Christi verba figurate interpretantur. Carlostadius contendit figuram in pronomine *hoc* esse reponendam, Zwinglius in verbo *est*, OEcolampadius in voce *corpus*. Haec sententia arrisit Calvino, qui tamen Eucharistiam figuram non esse omnimode vacuam, sed quae rem ipsam continet, affirmat. Unde *in epistola ad Martinum Scalingium apud Hospinianum* fol. 248., se non negare scribit fideles vere et substantialiter carne Jesu Christi nutriri, dummodo quis definiat modum: scilicet quod per efficaciam Spiritus sancti carnis et sanguinis Christi virtus in nos derivetur. Ludit tamen in verbis, quum maximam nos inter et Christum distantiam ponat, illum in coelis tantum, nos in terra esse statuat.

§. CCLXXIV.

Quid? Quod Lucas Christi narrans institutionem (cap. XXII. 19.) ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, ac Paulus (I. ad Corinth. 24.), *quod pro vobis tradetur*. Quamobrem idem corpus Apostolis dabat, quod pro omnium salute tradendum erat in cruce; porro in sacrificio se vere et proprie dedisse, fatentur omnes, qui Phantasiastarum deliramentis non adhaerent. Subdit autem gentium Doctor (XXVII. 29.): *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*. At quomodo haec? si corpus et sanguis non sumitur, sed panis tantum, qui ejusdem sit umbra et figura? Ignorat praeterea nemo, Christum tunc novum instituisse testamentum ac foedus. Jam vero compertum habebant Apostoli, verba, quibus vetus testamentum sancitum erat: *Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum* (Exod. XXIV. 8. ad Hebr. IX. 20.), sensum litteralem habere, unde si sanguinem legalem, qui Eucharistiae typus erat, verum propriumque esse fatentur omnes: quanto magis in antitypo et rei veritate id credere tenebantur Apostoli?

Ulterius demonstratur.

SCHOLION. Perdunt oleum operamque Calviniani, dum nonnulla colligentes Scripturarum testimonia, ubi verbum *est* accipitur pro *significat*, inde concludunt verba institutionis ita accipienda: *hoc significat* corpus meum. Etenim, praeterquam quod Calviniani a nonnullis particularibus ducant perperam argumentum ad universale, animadvertere oportet, in textibus, quos opponunt, figuram aut ex rei natura, quemadmodum in parabolis ac allegoriis, aut saltem ex adjunctis et circumstantiis dignosci. Quod, ut jam demonstravimus, in verbis institutionis locum non habet. Nec juvat, in quo mirum in modum sibi complacebat Zwinglius, Exod. XII. 11. de agno paschali dici: *Est enim phase, sive transitus Domini*, ubi sensus est, quod agnus paschalis significet Domini transitum. Non juvat, inquam; ex ipso enim contextu non ambigue perspicitur agnum non esse ipsum transitum, sed tantum transitus signum; nam immediate subsequitur: *Et transibo per terram Ægypti nocte illa, et percutiam omne primogenitum . . . ego Dominus.* Caeterum verbum *est* possumus etiam in suo nativo sensu accipere, si subintelligatur vox *victima*, ut sensus sit, *agnus est victima Phase, sive transitus Domini.* Nec caret fundamento haec responsio, quum vers. 26. et 27. ejusdem capitis legamus: *Quum dixerint vobis filii vestri, quae est ista religio? dicetis eis, Victima transitus Domini est.* Qua data responsione Zwinglii argumentum evanescit.

§. CCLXXV.

Quaedam Calvinistarum objectiones.

Singulas Calvinianorum ad realem praesentiam elevandam cavillationes, si proferre animus esset, ingens volumen eae sibi exposcerent. Perpaucas, ut commentariorum nostrorum ratio sinit, proferamus. I. Pronomen *hoc* demonstrativum est, ostenditque rem praesentem et actu existentem. Jamvero cum Christus illud pronuntiavit, solam in manibus habebat panis substantiam; quo fit, ut Christi propositio hunc sensum habere debeat: *Hic panis est corpus meum*, sed panis non est corpus Christi nisi figura; itaque institutionis verba sensum habent figuratum (*). II. Eucha-

(*) Argumentum istud achilleum judicant Claudius *resp. ad P. Novetum*, Albertinus lib. I. Chamierius lib. X. Turretinus loc. 19. q. 26.

ristia est sacramentum, quod Apostoli non ignorabant; de ratione autem sacramenti est, ut rei alterius signum sit. Quamobrem Apostoli concludere tenebantur, panem signum esse, et figuram corporis Christi. III. Christus ipse dixit (Matth. XXVI. 11.): *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Si autem in Eucharistia praesens esset, quis dubitet quod nobiscum semper Salvator maneret?

§. CCLXXVI.

Subtiliter quidem haec a Calvinianis excogitata sunt, at eorum causam non reddunt meliorem. Observes enim vellem, propositiones inter speculativas, ut ajunt, et practicas magnum adesse discrimen. Illae circa unicum objectum feruntur, illud in unico statu considerant, nec ullam producunt rei mutationem; unde earundem quoque unicum est subjectum. Veluti dum dico: *Deus est bonus.* Verumtamen in practicis propositionibus res aliter se habet: nam eae objectum, quod mutatur, respiciunt; cumque illud non sit idem initio, et in fine propositionis, fit, ut veluti duo considerentur subjecta; unde et aequivalent duabus propositionibus, quamvis id prima fronte non advertatur. Sit exemplum: Si Christus in Cana Galileae aquam conversurus in vinum dixisset: *hoc est vinum*; pronomen *hoc* sub duplici respectu esset considerandum, atque has duas complecteretur propositiones, *hoc*, *quod in hoc momento est aqua*, *in alio momento est vinum.* Ita dicas oportet de ea propositione: *Hoc est corpum meum*, quae ob infinitam Christi virtutem practica fuit et operativa. Quamobrem apparet, pronomen *hoc* in verbis institutionis ante finem propositionis significare panem, sed confuse per ideam generalem rei, substantiae et objecti praesentis; in fine autem propositionis eodem modo ad corpus referri: cum hoc tamen discrimine, quod *panis* significatio transiens est, *corporis* autem permanens. Quod ex ratione Sacramenti argumentum ducunt adversarii, futile est. Nam Apostoli verbis promissionis edocti Christum daturum ipsis in cibum carnem suam jam noverant; quamobrem auditis verbis: *Hoc est corpus meum*, veritatis magistro, cu- Solvuntur.

jus infinitam potentiam repetitis vicibus conspexerant, plenam adhibuerunt fidem; attamen cum solum viderent panis figuram, tunc primo sub panis speciebus corpus Christi latere, compertum habuerunt. Accedit his, signa alia speculativa esse, practica alia; prima aliquid significant, et nihil operantur; postrema vero, quod significant, efficiunt, ac una continent. In postremo opus non est, ut diu moremur. Quandoquidem voluit Salvator edocere Apostolos, quod cum ipsis amplius futurus non esset in forma visibili, qua exhibere eidem possent pietatis officia; caeterum cum iis futurum usque ad saeculi consummationem disertis verbis ipsemet spoponderat (Matth. XXVIII. 20.).

Scholion. Ex quo Catholicorum Theologorum dissensus, quem Calvinistae nobis objiciunt, facile tollitur. Nam qui dicunt pronomen *hoc* referendum esse ad panem, id asserunt, cum propositio nondum integre prolata est; qui volunt generatim significare substantiam singularem, objectum praesens, optime et ii dicunt, eo quod sive pronomen *hoc* referatur ad panem, sive ad corpus, utrumque significat in idea generali objecti praesentis, et singularis substantiae; qui tandem ejus sunt mentis, ut *hoc* referatur ad corpus, nec errant, quoniam propositionem jam in proferendo completam accipiunt.

§. CCLXXVII.

Abauzitius confutatur. Abauzitius recens Genevensis Scriptor praesentiam realem hoc argumento elevare contendit (*Idee generale de l' Eucharistie*). Consuetum erat apud Judaeos coenae paschalis tempore, ut Paterfamilias haec verba proferret: *Hic est panis afflictionis, quem Patres nostri in Ægypto comederunt.* Christus vero, quum Apostolos suos de annunciata sibi morte tristes videret, ad eos solandos Eucharistiam in sui memoriam instituit. Quare sicuti verba illa: *hic est panis afflictionis*, solas commemorabant, quas in Ægypto Israelitae habuerunt affliciones; ita verba, quae accipiendo panem Christus protulit, ad solam ipsius memoriam, repraesentandamque ejus mortem prolata erant. Verum undenam probare potest Abauzitius, jam Christi Domini tempore verba illa a Patrefami-

lias fuisse prolata? Profecto id plane incertum est. Tum argumenti vis in eo persistit omnis, quod Christus Dominus verba: *hoc est corpus meum*, protulerit aliorum loco: *hic est panis afflictionis*, quo ad figuratum sensum paratos Apostolorum animos autumat. At vero rituales Judaeorum libri, quos Hagadescel Paschatis vocant, ostendunt memorata verba dicta fuisse, antequam discumberent, et coenae initium darent. Christus autem Dominus Apostolis jam coenantibus dixit: *hoc est corpus meum* (Matth. XXVI. 26.). Quibus addas, in verbis *hic est panis afflictionis*, figuram statim dignosci, quae non apparet in iis a Christo Eucharistiam instituente prolatis.

Scholion. Auctor impii operis *l'Evangile du jour*, ait absurdam esse Religionem illam, in qua creditur, Deum comedi posse. Verum imponit nobis iste. Quandoquidem quod comeditur, corpus esse debet, Deus autem purus spiritus est, qui comedi a nobis nequit. Carnem quidem Christi veram ore accipimus, sed nec hanc vel conterimus dentibus, vel aliorum ciborum adinstar in nostram corporis nutritionem vertimus. Porro, quum Christi corpori hypostatice unita sit natura divina; hinc etiam quum Eucharistiam accipimus, Deus, qui ubique est, peculiari modo in nobis est praesens. Scriptor opusculi *le Christianisme dèvoilè*, qui Boulangerius esse creditur, nobis etiam imputat, quod omnino rejicimus ac detestamur. Mentitur enim splendide, ajens, quod ad Presbyteri vocem cogatur Deus e sua gloriae sede descendere, ut se in panem immutet, aut quod panis evadat Deus, aut quod nos panem adoremus. Quandoquidem Christus modo omnipotentiae suae consono in Eucharistia est, ac simul in coelis; a Sacerdote non cogitur, quum Sacerdos eam tantum potestatem habeat, quam ipse Christus ipsi communicatam voluit. Non se Christus in panem immutat, nec panis evadit Deus, quoniam panis substantia esse desinit, multo minus panem adoramus. Unde apposite Bergier *Apol. de la Religion* cap. IX. §. 3. ait, quod antequam increduli adversus Religionem insurgant, saltem catechismum nostrum legere deberent. Vid. et quae laudatus Scriptor adversus Rousseauvium scribit *le Dèisme rèfutè par lui mème* p. 33.

§. CCLXXVIII.

III. Traditione.

Sed nil deerit ad dogma catholicum de reali praesentia demonstrandum, si Ecclesia semper et ubique hanc veritatem strenue defenderit. Porro rem ita se habere manifestum est. Enimvero Ignatius Martyr Apostolorum Discipulus de Simonianis et Docetis haereticis ait (Epist. *ad Smyrnaeos*): *Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confitentur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est . . . Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur.* Justinus Martyr (Apol. I.) affirmat non esse communem panem et potum, quem sumimus: *Sed incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus.* Quid vero Irenaeus? Ipse panem, in quo actae sunt gratiae, corpus esse Domini, et calicem sanguinem ejus diserte affirmat (Lib. IV. c. 34.). Adstipulatur Tertullianus inquiens (*De Res. carnis* c. 8.): *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Eandem prorsus doctrinam tuentur Origenes (Hom. VII. *in Num.*), S. Cyprianus (*Lib. de Lapsis*), Gregorius Nyssenus (*Orat. Catech.* c. 37.), Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech. IV. myst.*), Hilarius Pictaviensis (Lib. VIII. *de Trinit.* c. 13.), Ambrosius (*De Mysteriis* c. 8. n. 47. 48. et c. 9.), S. Jo. Chrysostomus (Lib. III. *de Sacerd. edit. Montfaucon* p. 382.), Cyrillus Alexandrinus (*In litteris ad Nestorium nomine suo, et synodi alexandrinae conscriptis*), Hieronymus (*In Epist. ad Titum* cap. 1.), Augustinus (Lib. V. *de Baptis.* n. 9. *in Ps.* 98. n. 9. et alibi). Fides insuper Ecclesiarum omnium ex ritualibus vetustissimis libris, qui ante Paschasii Radberti tempora conscripti sunt, fit manifesta; unde erroris aperte convincuntur Claudius, Albertinus, Binghamus, ac quotquot dogma de reali praesentia ab eo primum excogitatum fuisse effutiverunt.

Scholion. Id demonstrat Muratori *de rebus liturg. dissert.* cap. IX. et seq. Confer liturgias Graecorum a Goario editas, Allatium *de perp. consens.* et Re-

naudotium *collect. liturg. orientalium* tum *fidei perpetuitatem* in 1. 2. et quinque alia, quae sequuntur volumina, quorum postrema duo auctorem habent eumdem Renaudotium. Videri etiam possunt Patrum auctoritates in rem nostram a Garetio collectae, Gropperus *de Eucharistia*, Duperonius, et opera posthuma D. de Marca *de Eucharistia*.

Ad ea solvenda quae ex Patrum auctoritate proferunt Calviniani, has regulas afferre necessarium duxi. I. Patres aliqui Eucharistiam vocant *Sacramentum panis*; non quasi ejus permaneret substantia, sed quoniam spiritale alimentum animae nostrae praebet; tum quia Eucharistia panis species retinet; nec non ad demonstrandum sensibile elementum, unde confecta est. Atque id Scripturarum consuetudine, qua res immutatae priori nomine designari non raro solent; ita virga Aaron in colubrum versa *virga* adhuc nuncupatur, *Exod VII.* 12. Vid. etiam *Gen. II. 23. Matt. XXI. 31. XXVI. 6. Joan. IX.* 27. II. Nonnumquam dici solet *signum et figura corporis Christi*: ratione nempe specierum, quamvis ipsum corpus, sanguinemque Christi contineat; tum eo, quod signum est gratiae, quam hujus Sacramenti virtute recipimus. III. Quod priorum seculorum Patres adeo clare et perspicue uti temporibus nostris, de hoc Sacramento non disseruerint, attribuendum est disciplinae arcani. Qua de re consulendi Schelstratenus *de disciplina arcani*, Bulengerus in *dissert. 17. Casauboni* aliive. IV. Quum patres affirmant Christum a nobis *spiritaliter* manducari; id non alia ratione ajunt, nisi quoniam Christum continet, qui cibus est spiritalis ac vivificus, pascens gratia animam nostram; tum eo quod caro non est hominis tantum sed Dei; tum quia gratia sanctificante exornatos, ac cum fide ad tantum mysterium accedere oportet, si spiritalem fructum optamus referre. V. Naturae nomen a nonnullis Patribus non pro ipsa essentia, sed pro ejusdem tantum proprietatibus acceptum fuit. Qua ratione Tertullianus ajebat: *Aliud est substantia, aliud natura substantiae: substantia est ferrum, lapis: durities est natura lapidis et ferri.* Confer Berti lib. 33. cap. IX.

§. CCLXXIX.

Admittenda est transubstantiatio.

Transubstantiationem cum Patribus Tridentinis vocamus (Sess. XIII. can. 2.) *conversionem totius substantiae panis in corpus , et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini :* quam fide catholica tenendam esse evincunt sacrae litterae , et omnium Ecclesiarum consensus. Et quidem institutionis verba in sensu proprio et secundum litteram accipi debent (§. CCLXXIII. seq.). Jam vero , quum Salvator dixit : *Hoc est corpus meum* , ostendere voluit , quod in manibus habebat , solum suum corpus esse ; quemadmodum aqua tota in vinum fuisset conversa, si in Cana Galilaea amphoram aquae tenendo dixisset: *Hoc est vinum.* Tum si Christus voluisset innuere panis remanere substantiam , propositionem suam hoc modo protulisset , in *hoc* vel *sub* , vel *cum* hoc pane , vel in *usu* hujus panis *est corpus meum* , tunc enim amborum coexistentiam percipere potuissemus. Itaque si dixit : *Hoc est corpus meum* , panis naturam manere non est affirmandum. Quod vero Ecclesiae omnes eamdem catholicam veritatem profiteantur , apertum est. Nam quum Lutherani , et Calvinistae errores suos spargere coeperunt , latina Ecclesia dogma nostrum fidelibus credendum proponebat : quod non minus de Graecis asserere debemus ; nam in liturgia S. Joan. Chrysostomi legimus : *Fac quidem panem hunc pretiosum corpus filii tui , quod autem est in calice , fac pretiosum sanguinem Christi tui . . . transmutans spiritu tuo sancto ;* quibus verbis conformia omnino sunt , quae in euchologicis libris habent Orientales (*). Ernestus autem Grabe Scriptor Acatholicus candide fatetur (*Annot. in lib. V. Irenaei* cap. II. *edit. Oxon.* pag. 399. qua de re vide *dissert. praevias in Irenaei libros* pag. CXLIX.) , Cyrillum Hierosolymitanum , Gregorium Nyssenum , Joannem Damascenum , aliosque fortasse plures persuasos fuisse divina potentia fieri , ut ipsa panis substantia in carnem transmutetur , *quae Christi caro sit.*

(*) Apud Muratorium *de reb. liturg.* cap. 13. et 14. Renaudotium , et Echellensem *in notis ad Catalogum Hebed. Jesu in missa , quae Nestorio tribuitur.*

Scholion. Transubstantiatio quantum ad nomen recens est; at si rem ipsam inspicias, vetustissima. Latini utebantur verbis *verto*, *facio*, *transmuto*; Graeci *εἰμι γίγνομαι*, *μεταβάλλω*, *μεταποιῶ*: sufficiat unum exemplum: de uxore Loth legimus *ἐγένετο στήλη ἁλός*: in vulgata *versa est in statuam salis*.

Lutherani nonnulli admiserunt *impanationem*, nempe assumptionem a Christo factam panis, ita ut inter utrumque quasi hypostatica unio intercedat. Alii consubstantiationem, quae conjunctio sit et coexistentia panis et vini cum corpore et sanguine Christi Domini. Franciscus autem Buddaeus *de baptis. et sacra caena* pag. 1096. a suis impanationem et consubstantiationem, quatenus secum fert duorum corporum localem conjunctionem, aut eorum corporum commixtionem admitti negat. Contendit autem ipsos solam agnoscere unionem Sacramentalem, quae in eo consistit, ut in legitimo hujus Sacramenti usu verum corpus, verusque Christi sanguis cum pane et vino vere et realiter conjungantur. Certum tamen est, consubstantiationem non a Catholicis solum, verum etiam a Calvinistis fuisse iis exprobratam.

Unde apparet, hallucinatos fuisse Chemnitium, *in exam. Concil. Trident.* Boxhornium *in comment. harm. Evang.* Hospinianum *in histor. Sacr.* Episcopium, aliosque asserentes, nec Concilii Florentini tempore communi populorum consensu stabilitum fuisse transubstantiationis dogma. Nam hac de re nullam litem fuisse Graecos inter ac Latinos evincitur ex Marco Ephesio Rom. Ecclesiae hoste infensissimo, qui ajebat verba Christi . . . *Propositis donis virtutem indere ad conversionem quae postea fiat per orationem et invocationem Sacerdotis.* Consensus Graecorum cum Latinis hac in re adeo conspicuus est, ut magis ingenui Acatholici id fateantur. Buddaeus hodiernam Ecclesiam Graecam victam et delusam affirmat, at ex Metrophanis Critopuli confessione Cap. IX. nullam ab ipsis conversionem fuisse admissam, apparere scribit. Verum Metrophani huic, qui Cyrilli Lucar tuebatur partes, atque ab eodem missus fuerat, ut Protestantium Academias lustraret, quique Helmstadii confessionem de qua gloriatur Buddaeus, edidit, nullam fidem exhibendam esse uni-

versa Ecclesia Graeca affirmat. Dicam cum Grotio *op. theol.* tom. 4. edit. Basil. 1732. p. 681. *Sed sumenda est Ecclesia Graeca, non qualem ex suo capite Cyrillus nuper inductus pretio confinxerat: sed qualis est revera.*

§. CCLXXX.

Nonnulla adversariorum argumenta.

At Lutherani ac Calvini asseclae ad dogma hoc repudiandum firmissimis se munitos auctoritatibus, ac ratione ipsa jactitant. Nam ajunt: gentium Doctor (I. ad Corinth. X. 16.) ad Corinthios scribit: *Panis, quem frangimus, nonne κοινωνία communio corporis Domini est?* Communio autem inter res, quae praesentes sunt, esse debet. Quapropter si panis est communio corporis Christi, ejusdem manet natura. S. Irenaeus (Lib. IV. c. 18.) asserit Eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena, et coelesti, rei autem terrenae nomine, non nisi panem intelligere potuit. Quid? quod addunt: transubstantiationis dogma rationis lumini aperte repugnat; quum omnia accidentia manere absque substantia, impossibile sit.

Scholion. Haec argumenta producit Buddaeus de baptismo et sacra coena (§. XV. et XVI.). Postremum vero urgent Guill. Chillinguorthus, la Placette de *auctoritate sensuum contra transubstantiationem*, Mosheim in *schol. ad Syst. Intellectuale Cudvvorthi* tom. 2. p. 44. *edit. Lugduni Batavorum*, Encyclopaedia Iverdon art. *transubstantiation*, aliique plures.

§. CCLXXXI.

Refutantur.

Hallucinatur tamen Buddaeus, quum Paulum communionem panem inter et corpus Christi statuere affirmat; nam de ea tantum, quae fidelium cum Christo est, sermonem instituere contextus ipse declarat. Quandoquidem deprompto ex Eucharistia argumento, a cultu idololatrico dehortatur fideles: Vos, ait, qui ad sacram mensam acceditis, corporis Christi habetis communionem, ne itaque idolothitis vescamini: *Nolo enim vos κοινωνὸς communicatores daemoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum, non potestis mensae Domini participes*

esse et daemoniorum; jam dixerat, *quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Panem autem nominavit Apostolus, eo quod non raro in sacris litteris immutatae res pristinam denominationem retinent (§. CCLXXVIII. Schol.). Jam vero ad Irenaeum, qui in Eucharistia rei terrenae nomine ipsum corpus et sanguinem Domini intelligit; disputabat enim adversus Valentinianos, qui Christum Dominum corpus coeleste habuisse blaterabant (Vid. quae scripsi lib. II. de *Verbo Dei incarnato* num. 117. et in *Schol.*), nec verbum Divinum filium Patris unigenitum, creatae Christi naturae vera ac substantiva unione copulatum esse volebant; hos exemplo Eucharistiae coarguit: haec, ajebat, re terrena efficitur; nam ex terreno pane et vino in Christi corpus et sanguinem immutatis Eucharistia conficitur; re terrena etiam, quoniam Christi corpus in utero Virginis formatum fuit, nec illud e coelis attulit; sed e re quoque constat coelesti, nempe ex Verbo filio Dei, quod cum hypostatice unitum sit corpori, ubi unum est, ibi esse debet et aliud (confer diss. III. in *Irenaei libros* p. CXLIII. et Muratori *de reb. liturg.* cap. XV.); rei itaque terrenae nomine panem haud intellexit S. Doctor. Iis porro, qui transubstantiationem judicant impossibilem, eos naturam efficere potentiorem ipso auctore naturae, reponimus. Quandoquidem natura quotidie panem in comedentis transmutat substantiam. Porro quod panis species ac qualitates remaneant omnes absque substantia, naturae quidem viribus fieri non potest; at divinae potentiae id arduum non est. Non enim magis erit Deo difficile sua virtute species absque substautia conservare, quam substantiam ipsam ejusque proprietates e nihilo educere. Scimus dixisse Christum, qui Deus simul et homo est: *Hoc est corpus meum; panis, quem ego dabo, caro mea est:* quibus immutatio panis in corpus suum ostenditur; ipsum veracem credimus, nec posse nos in errorem inducere. Hinc nostram teuuitatem noscentes ipsius verbo firmam adhibemus fidem; quumque panis proprietates manere experientia noscamus, divina virtute fieri, ut hae absque subjecto maneant fatemur.

Scholion. Caeterum cum Calvini et Lutheri asseclae sensibus in rebus etiam revelatis nimium fidant, ea coguntur admittere, quae suis principiis repugnant. Quandoquidem Calviniani Christum e Virgine genitum credunt, coenaculum januis clausis intrasse, naturam ejus humanam propria carere subsistentia; verum ex communi sensuum testimonio nemo a virgine gignitur, corpus unum aliud non penetrat, atque homines singuli suam habent hypostasim, et subsistentiam. Quantum ad Lutheranos attinet, res magis conspicua est; admittunt ii verum corpus Christi, et sanguinem in usu esse. At haec quomodo, si sensuum testimonio uniformi et constanti inniti velimus? Potestne sumi verum corpus, quin advertatur? Potestne sub parva hostiola delitescere? An eodem tempore in coelis esse ac pluribus aliis in locis? Si haec ob Dei revelantis auctoritatem credunt, vitio nobis non vertant, si credamus transubstantiationem. Attamen si quis notitiam habere cupit aliquam an accidentia, quae post consecrationem manent, realia sint, consulat Cartesii hac de re epistolam, opusculum D. Rohastii, Durandum cum commentariis D. Caly, et opus P. Desgabetii.

§. CCLXXXII.

Manet etiam extra usum corpus Christi in Eucharistia.

Quod probandum assumimus, Christi Domini corpus in Eucharistia etiam extra usum manere, ex positis jam principiis manifesta illatione consequitur. Et vero Salvatoris verba a legitimo ministro prolata ea sunt, quae signum sensibile consecrandi vim habent (§. CCLXVIII.), ac horum virtute Christus in Eucharistia sistitur praesens (§. CCLXXIII. seq.) facta panis et vini in Christi corpus ac sanguinem mirabili conversione (§. CCLXXIX.); confecta itaque Eucharistia corpus Christi in ea reperitur, quod tamdiu manet, quamdiu species sensibiles permanent incorruptae. Quam veritatem Christi sacramentum hoc instituentis confirmamus exemplo. Nam ipse dixit, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*, antequam Eucharistiae participes fierent Apostoli, non enim eodem, quo verba protulit, instanti Eucharistiam iisdem distribuit. Quamobrem, cum ipse veritas sit, cum dixit: *hoc est corpus meum*,

eodem momento ipsius corpus adesse credere debebant Apostoli. Accedit his, Eucharistiam antiquae Ecclesiae consuetudine ad absentes missam fuisse, ad infirmos, ad Episcopos in communionis signum, in loco sacro reconditam, atque apud Graecos servatam pro missa praesanctificatorum. Quae declarant, fideles in ea semper fuisse persuasione, ut Christi corpus in hoc sacramento etiam extra usum permaneat.

Scholion. Melancthon nulla solida scripturae aut traditionis munitus auctoritate excogitavit, Christum extra usum in Eucharistia non esse; ejus doctrinam admittunt consensu unanimi Lutherani. Ad ea, quae adversarii proferunt solvenda vid. Muratori ibid. cap. 23. et quae adversus Cl. Ernestum disseruit meus Antecessor clarissimus, ac modo Gallipolitanus Episcopus P. Gervasio *de sac. Euch.* cap. 17.

§. CCLXXXIII.

Quo fit, ut adorari debeat.

Christus est in Eucharistia vere ac permanenter, non in usu tantum praesens (§. praec.); at Christum Deum simul et hominem adorare tenemur, etiam quantum ad ipsam naturam humanam (§. XLII.): Christus itaque in Eucharistia est adorandus. Equidem scio, Acatholicos, eo quod post exortam Berengarii haeresim hostiam et calicem elevandi, ut a populo adoretur, mos primum invaluit, inde concludere, ante haec tempora Eucharistiam adoratam nunquam fuisse. At praeceps, inconsideratum, falsum eorum judicium est. Quandoquidem in ordine Romano primo, qui annum Christi octingentesimum praecedit, legimus: *Inclinato capite Pontifex vel diaconus salutat sancta* (Editus a Cassandro, Hittorpio, et Mabillonio): in altero ordine Romano: *et pertransit Pontifex et adorat sancta* (Apud Mabillonium), quod diserte etiam scribit Amalarius (*In eclogis a Baluzio et Mabillonio editis*). Quantum ad Graecos: in liturgia, quae dicitur S. Jo. Chrysostomi, hujus adorationis clarissima sunt documenta, quod etiam de Orientalibus ostendit Cl. Renaudotius (*In Liturg. Oriental.*). Quid? quod praestantissimi Ecclesiae Patres veritatis hujus testes sunt disertissimi? Ambrosius (Lib. III. *de Spir. Sanct.*

cap. 11.): *Caro Christi*, inquit, *quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adoraverunt.* Augustinus in ea verba, *adorate scabellum pedum ejus* (In Ps. 98. n. 9.) *id in* Christo impletum esse affirmat, *suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit, et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quomodo adoretur tale scabellum Domini, ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Theodoretus (Dial. II. *contra Eranistem*) de sacris Eucharistiae symbolis, inquit: *Intelliguntur autem esse quae facta sunt et creduntur, et adorantur, utpote quae illa sunt quae creduntur.* Chrysostomus, ut de aliis sileam (Hom. 24. in I. Epist. ad Corinth.): *Hoc corpus etiam jacens in praesepio reveriti sunt Magi, et cum multo metu ac tremore adorarunt. Tu non in praesepi vides, sed in altari. Nos ergo illi longe majorem quam illi barbari ostendamus reverentiam.* Haec adeo perspicua sunt, ut clare demonstrent, quam male Acatholici adorationem Eucharistiae sustulerint.

Scholion. Vid. Muratorium cap. 19. et quae adversus Dallaeum scripsit Jacobus Boileau; tum Wallemburgicos tom. II. lib. 11. cap. 1. et 3. qui hac de re egregie disserunt, dissonantiam Protestantium ante oculos ponunt, ac catholicum dogma egregie vindicant, Claudium Despencaeum de adoratione Eucharistiae, et Renaudotium *comment. ad Liturgiam Copticam S. Basilii* p. 269.

§. CCLXXXIV.

Communio sub utraque specie divinum mandatum non habet.

Non est cur operam impendant multam Acatholici ad ostendendum communionem sub utraque specie ad saeculum usque XII. viguisse (quamvis nec semper, nec necessaria habita est); nam id lubenter damus. Atque quemadmodum diuturniore licet tempore immersionis trinae ritus in Ecclesia obtinuerit, haud tamen heterodoxi illicitum judicant baptisma vel adspersione, vel infusione collatum; ita nos arbitramur

aequis de causis potuisse Ecclesiam disciplinam aliam inducere, ac communionem sub una specie praescribere. Quandoquidem cuncta, quae Christus Eucharistiam instituens egit praecepta nobis non sunt (§. CXLVII. Schol.), quod etiam de utriusque speciei distributione asserimus, solidissimis argumentis innixi. Ac primum: illud tantum necessarium est in Sacramento, quod ad ejus substantiam pertinet. Porro, ut noscamus id, quod ejusdem naturam constituit, effectum Sacramenti essentialem consideremus, oportet. Jam vero, quum expressionem mortis Christi Domini eo etiam habeamus tempore, quo Christi corpus pro nobis passum, mortuumque distribuitur (*), gratiamque obtineamus, quae est spiritale animae nostrae nutrimentum; sanguis qui nonnisi clariorem mortis Christi significationem nobis exhibet, necessarius ad sumendum sub vini specie non erit. Quo fit, ut duarum specierum institutio, ac distincta consecratio ad sacrificii quidem, non ad sacramenti substantiam spectet. Voluit quippe Christus in hac mystica corporis a sanguine separatione sacrificii Eucharistici constituendam esse naturam, ut perfectam sacrificii crucis imaginem nobis exhiberet. Caeterum, etsi corpus a sanguine vel cruento, vel incruento modo separatum est, noluit tamen Salvator aliam virtutem, ac efficaciam suum corpus, aliam sanguinem suum comitari, sed prorsus eandem; nam ipsemet docuit: *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis quem ego dabo caro mea est* (Joan. VI. 52. seq.), repetitque: *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*. Quamobrem, quum eundem plane effectum obtineat, sive, qui unam, sive, qui duplicem speciem sumit, fit, ut communio sub utraque specie divinum non habeat mandatum, nec ad salutem sit necessaria.

(*) Distributo sub specie panis corpore suo dixit Christus Lucae XXII. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, unde apparet unicam speciem mortis Christi memoriam nobis ingenerare.

Scholion. Causae aequissimae, quibus permota fuit Ecclesia, ut communionem sub una specie decerneret sunt: I. Veneratio erga Augustissimum hoc Sacramentum: saepe enim contingebat, ac maxime in diebus solemnioribus, ubi magnus populi concursus, ut pretiosus sanguis effunderetur in terram. II. Magna, quae pro quibusdam provinciis adest vini reperiendi difficultas. III. Non parvus illorum numerus, qui nec viui odorem ferre possunt. IV. Nauseabant multi in eodem calice bibere, cui multi labia apposuerunt. V. Quia pedetentim mos ferme communis inductus fuerat per Occidentis provincias sub una specie communicare. VI. Eo quod Heterodoxi asserebant, utramque speciem esse ad salutem consequendam prorsus necessariam.

Qui primi communionis sub utraque specie necessitatem statuebant; erant Petrus Dresdensis, Jacobellus Misuensis, et Joannes Hoss, unde exorti Callixtini, et Taboritae a turbis in florentissimo Bohemiae regno excitatis, satis noti. Lutherus rem hauc diuturno tempore indifferentem habuit; immo ausus est scribere an. 1523. *de formula Missae*, quod si Concilium aliquod sub duplici specie sumptionem Eucharistiae decerneret, ipsi unam tantum sumerent, aut nullam. Lutherani tamen, et Calviniani ob distributam unam speciem adversus Ecclesiam Romanam acriter insurgunt.

§. CCLXXXV.

Quod ulterius demonstratur. Accedit his, sub unica tantum specie nos Christum totum recipere: Nam *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur* (Ad Rom. VI. 9.). Itaque vivum Christi recipimus corpus, proindeque simul cum sanguine, immo cum anima, divinaque natura, quae nexu substantivo, ac indivulso ei conjungitur (§. XXXV.); unde fit manifestum alterius speciei communionem hand esse necessariam. Quid? quod Paulus verborum Christi interpres optimus Corinthiacam alloquens Ecclesiam, in qua clericis admixti erant Laici, de panis specie haec Salvatoris verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, absolute profert; de calice vero cum aliqua determinatione ajens: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam comme-*

morationem (I. ad Corinth. XI.). Quibus nos edocere voluit, calicem bibere haud esse praeceptum, sed dum sumitur, id debere in Christi etiam memoriam fieri. Quod magis innotescet, eo quod subdat (Ibid. v. 27.): *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini.*

Scholion. Doctrinam hanc, quam *connexionis*, et *concomitantiae* nomine nuncupare Theologi consueverunt, apud Graecos vigere ostendit Renaudotius ex Epistolis a se editis Michaelis Piga Patriarchae Alexandrini: quod etiam certum esse de Orientalibus ex constanti eorum disciplina fit palam, secundum quam, dum solam panis speciem ad aegrotos deferunt, vel quum infantibus digito tantum in calice intincto ministrant, non tamen dubitant se plenam iis corporis et sanguinis Christi communionem dare. Vid. Renaudotium *observ. in liturgia Syriac.* p. 126. *comment. ad lit. Copt. S. Basilii*, nec non not. *in liturg. Jacobi Serugensis:* immo, cum in ipsa Coptica liturgia *ad communionem* Eucharistia corpus vivificum Christi Domini vocetur, clare patet hujus doctrinae adsertores esse. Addo Pontificale Ecclesiae Apamiensis in Syria apud Martene *de ant. Eccl. rit. tom.* I. p. 196. in quo Sacerdos sub sola vini specie infantulos communicans ait: *Corpus cum sanguine Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam aeternam.*

§. CCLXXXVI.

Quemadmodum ad *legis spiritum* in legibus civilibus assequendum, consuetudo interpres est optima; ita ad percipiendam Christi Domini voluntatem Ecclesiae usus certam tutamque nobis regulam figit. Jam vero, si in distribuenda Eucharistia Ecclesiae praxim consideremus, nullam a Christo de utraque specie sumenda praeceptum latum fuisse apparebit. Quandoquidem in communione domestica solam panis speciem sumptam fuisse evincitur ex Tertulliano (Lib. II. *ad uxorem* cap. V.), Basilio (Epist. *ad Caesar. Patric.*), pluribusque aliis Ecclesiasticis monumen-

Nec non ex Ecclesiae consuetudine.

tis (*): quod non minus factum fuisse in communione infirmorum Epistola Dionysii Alexandrini *ad Fabium Antiochenum* (*Apud Euseb. hist. Eccl.* lib. VI. c. 44.), Paulinus Diaconus (*In vita Ambrosii*), ac Latinae, Graecae, Orientalis Ecclesiae consuetudo demonstrat. Pueris non minus sub sola vini specie Eucharistia ministratur (§. praec. Schol.); cujus etiam rei testis est disertissimus S. Cyprianus (*De lapsis*). Immo licitum fuisse in ipsis publicis Ecclesiae conventibus unam, vel utramque speciem sumere non obscure deducitur ex facto celebri mulieris illius Macedoniana haeresi infecta, quae communem panem domo secum detulerat, ut Eucharistiae loco acciperet (*Apud Sozomenum hist.* lib. VIII. c. V.); tum quod Manichaei a vino tamquam a re mala abhorrentes diu sub panis specie cum Catholicis communicantes delituerint (uti evincitur ex Leone magno *serm. 4. de Quadrag.*). Egregium non minus est in rem nostram argumentum, quod ex Missa *Praesanctificatorum* petitur, quam Ecclesia Romana in Parasceves die; graeca vero singulis quadragesimae diebus praeterquam in sabbato, Dominica, e festo Annuntiationis celebrare consuevit. Iis porro diebus symbola non consecrabantur; communio autem in sola reservata panis specie fiebat. Quid plura? Nonne Acatholici ipsi iis, qui abhorrent a vino, sub una specie Eucharistiam distribuunt? An hoc saltem in casu etiam ipsi divinum praeceptum violant? Ac si Salvatoris jussu omnes plane bibere de calice debent, cur abstemios a Sacramento non arcent, cur infantibus non ministrant? At quod miraberis magis: Acatholici, qui adversus communionem sub una specie omnium Ecclesiarum, ac temporum auctoritate munitam tam alte detonant, ipsimet proprio marte, ubi vinum non est, sumi posse pro Eucharistia hydromelum, vel quemlibet alium liquorem asserunt, ac signum sensibile ab ipso Christo institutum, ac praeceptum immutare audent.

(*) Vid. *Lupum dissert. de S. Leonis IX. actis*; et Martene, *de ant. Eccl. rit.* cap. V. art. I. ubi et morem, quo a probis viris haec communio domestica fiebat, addiscet.

SCHOLION. Buddaeus *de bapt. et sacra caena lib.* V. c. I. §. XXII. asserit symbolum utrumque a Graecis praesanctificatum fuisse, et distributum; nam inquit, gratiarum actio in Praesanctificatorum Missa participationis corporis, et sanguinis Christi meminit. Verumtamen liturgias praesanctificatorum, si diligenter perpendamus, sacrum sanguinem asservatum fuisse generatim saltem non legimus: sed tantum cochleari in sacro sanguine intincto Eucharisticum panem delinire Graeci consueverant. Vid. Liturgiam hanc apud Goarium *pag. 190.* immo nec semper, nec ubique apud ipsos hanc consuetudinem viguisse ex Harmenopulo *epist. Can. sect. V. tit. VI.* fit palam. Confer Goarii notas *in praesanct. Officium.* Quamobrem μεταλήψεως corporis, ac sanguinis Christi mentionem Graeci faciunt, quod judicant sub una specie Christum totum, et vivum contineri. Quantum ad Ecclesiam Latinam, in hac Missa solam panis speciem antiquitus distribuisse, evincitur ex vetusto Romano ordine, Alcuino, Amalario, Ruperto Abbate, aliisque.

§. CCLXXXVII.

Sed audiamus jam heterodoxos: Christus Dominus, inquiunt, utriusque speciei sumptionem praecepit: *Nisi manducaveritis*, dixit, *carnem filii hominis*, *et biberitis ejus sanguinem*, *non habebitis vitam in vobis* (Joan. VI. 54.). In ipsa non minus Sacramenti institutione Salvator: *Accipiens calicem gratias egit*, *et dedit illis dicens: Bibite ex eo omnes* (Matth. XXVI. 26.), addiditque: *Hoc facite in meam commemorationem* (Lucae XXII. 19); quum itaque Christus utramque speciem distribuerit, debent etiam sacerdotes omnes speciem utramque magistri exemplo, ac mandato distribuere. Quid? quod ipsa Romana Ecclesia, cum nondum esset depravata, hanc veritatem solemniter professa est? Quandoquidem Gelasius Papa scribit (Apud Gratianum *de cons* dist. 2. c. *comperimus.*): *Comperimus autem*, *quod quidam sumpta tantummodo corporis sancti portione a calice sacri cruoris abstineant*, *qui procul dubio*, *quonium nescio*, *qua superstitione docentur adstringi*, *aut integra Sacramenta percipiant*, *aut integris*

Adversariorum argumenta.

arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

§. CCLXXXVIII.

Dispelluntur. Levia tamen sunt haec, nec ad solvendum difficilia. Quandoquidem laudato in Joannis loco particula *et* disjunctivae vim habet; quum effectum eundem ei, qui vel unam, vel ambas species sumit, Christus attribuit (§. CCLXXXIV.); et revera non per ipsam comedendi, vel bibendi actionem aeterna vita nobis confertur; sed quia Christum ipsum recipimus, ipse vero totus est ac vivus sub unica specie (§. CCLXXXV.). Quid! Christiano sat non erit, recipere Christum? Quid! adeone stupidi erimus, ut Eucharistiae virtutem non ab ipso Christo, sed a signis, quibus se tegit, externis haurire velimus? Itaque si una sub specie corpus cum sanguine sumimus, ac aeternam vitam adipiscimur, non est, cur violati Dominici praecepti reos nos velint Acatholici. Alia Salvatoris Eucharistiam instituentis verba ad solos Apostolos spectant, quod inficias ire non poterit, quisquis Matthaeum cum Marco conferat scribente: *Biberunt ex illo omnes* (XIV. 23.), immo secundum Syriacam, Arabicam, et Æthyopicam versionem Christus dixit: *Bibite ex eo omnes vos.* Quod si adversarii arbitrantur Christi verba omnes obstringere, cur abstemiis sub una specie distribuunt, nec infantibus ministrare solent? Porro quum Salvator omnia, quae in postrema coena egit, his verbis comprehenderit: *Hoc facite in meam commemorationem:* nec heterodoxi ipsi cuncta judicant necessaria (§. CXLXII. Sch. ult.); hinc nullum aliud prudens, tutumque medium ad ea addiscenda, quae Christus jussit, superest, nisi sola traditio. Jam vero ab antiquissimis temporibus Ecclesia non raro sub una specie Eucharistiam distribuit (§. CCLXXXVI.). Ex quo consequitur, utriusque speciei communionem ad sacramenti substantiam non pertinere, nec a Christo jussam fuisse. Gelasii decretum adversus Manichaeos antumantes vinum a daemone creatum esse, atque Christum pro nobis pretiosum suum sanguinem non fudisse (§. XXIX. Schol.), latum erat, qui Catholicis commixti, cum solam panis speciem recipe-

rent, hinc primo Leo magnus, ac postea Gelasius ad eos detegendos mandarunt, ut unusquisque sub utraque specie communicaret. Quamobrem mysterii divisio; quam veluti sacrilegam Gelasius damnat, ea est, quae in abominanda superstitione fundatur, secundum quam Manichaei eunt inficias partem unam Sacramenti a Christo fuisse institutam, ac Christi sanguinem veluti rem execrandam traducunt. At quis nisi improbissimus sit, id de Catholicis dicere audeat? Qui utrumque symbolum a Christo institutum confitentes, illudque summe venerantes, ideo unum sumunt, eo quod in quolibet separatim Christum totum adesse tenent, eandemque gratiam recipere judicant. Re aliter intellecta fieret, quod cogitare nefas, primitivam Ecclesiam divisisse mysterium, quum aegrotis, infantibus, aliisque in circumstantiis sub una specie Eucharistiam ministravit.

Scholion. Confer Bossnet de *communione sub duabus speciebus*, Renaudotium tom. V. *perp. lib.* VIII. c. I. seq. De Marca *in Can. Conc. Claromontani*, Bona *de reb. lit.* lib. II. Mabillonium *praef. ad 3. saeculum Benedict.* et *Musaei Italici p. I.* Allatium *ad calcem lib. de perp. confer* et *lib. de 8. synodo Photiana*, atque etiam videri possunt Gersonius, Nicolaus de Cusa, Hesselius, Cassander, Nihusius, et Grancolas, qui hac de re scripsere. Quantum ad Eucharistiae necessitatem attinet, vid. Norisium in Vind. *August.* Maldonatum *in cap. VI. Evang. S. Joannis.*

§. CCLXXXIX.

Eucharistiae effectus.

Jam commemorandi nobis sunt hujus sacramenti effectus; quorum primus peculiaris quaedam ac propria huic sacramento gratia est. Nam quum ipsum gratiarum fontem et Auctorem Christum Dominum in Eucharistia recipiamus, ac simul mortem ejus commemoremus, dubium non est, quin copiosissimum nobis suae passionis fructum applicet. Haec porro gratia, eum in finem nobis tribuitur, ut animam nostram nutriat, in vita spiritali augeat, perficiatque; sed etiam haec eadem ferventiori caritate nos Deo unit, fideles mutuo amore devincit (I. ad Corinth. X. 17.), spem nostram erigit, confirmat fidem, con-

cupiscentiam imminuit, infirmitatem nostram roborat, ac superno coelestique gaudio nos perfundit; peccata insuper venialia remittit, ac a futuris mortalibus praeservat custoditque (Tridentini PP. sess. XIII. c. II.), immo nonnunquam, ut Theologi dicere solent, per *accidens* mortalia delet (Vid. S. Thomam 3. p. q. 79. Art. 3.), gloriae tandem futurae certum est pignus.

Scholion. Nihil est, quod magis declaret Christi Domini erga humanum genus amorem, quam augustissimum hoc Sacramentum; omni itaque cordis affectu ad eum diligendum feramur. Perpendamus Regem gloriae esse, Dominum universorum, quem in hoc Sacramento recipimus, omnemque ponamus operam, ut ejus legem sancte custodiendo, nihil in nobis inveniat, quod ipsi displicere queat.

CAPUT IV.

De Sacramento Poenitentiae.

§. CCXC.

Quid poenitentia.

Poenitentiae nomen idem significare, ac poenam tenere, contendunt multi; at Isidorus Hispalensis (Lib. VI. Orig.) vult poenitentiam esse quasi *punitentiam; per quam homo poenitendo punit, quod male admisit peccando.* Duplici sub aspectu poenitentia considerari potest, vel quatenus virtus est, aut veluti novae legis sacramentum: illa est virtus, *qua homo ad odio habendum detestundumque peccatum movetur; tum ad melioris vitae propositum, ac ad vindicanda in se peccata in compensationem illatae Deo injuriae* (Conc. Tridentinum. sess. XIV. Cap. I. Catech. Rom. par. II. n. 7.). Altero autem sensu sacramentum est, *quo lapsis post baptismum, iisque contritis, confessis, ac satisfacere volentibus absolutio a legitimo ministro impenditur.* Poenitentia, si uti virtutem consideres, nullo non tempore ad obtinendam a supremo Numine peccatorum veniam necessaria fuit; atque nunc etiam sacramenti hujus partem constituit. Jamvero Scripturarum oraculis disci-

mus, poenitentiam, pro resipiscentia mentisque in melius mutatione accipi (Isa. I. 16.), tum pro animi dolore, ac peccati detestatione (Joel II. 12. Act. II. 37. II. ad Corinth. VII. 10.), pro poena tandem, qua patratum scelus homo in se punit, castigatque (Matth. XI. 21.). Graeci poenitentiam vocant μετανοιαν, quae vox resipiscentiam sonat; sed non raro usu apud eos recepto, idem valet, ac exposcere pro delicto poenas, attamen poenitentiam nuncupant etiam exomologesim et Epitimion: vox prima confessionem, altera mulctam, sive poenam significat.

Scholion. Lutherus voci graecae *Metanaea* confisus poenitentiae nomine solam resipiscentiam intelligit; at perperam: nam vel ipsi profani scriptores pro criminis patrati dolore acceperunt. Notissima sunt Ovidii *Lib. I. de Ponto* carmina:

Poenitet ah! si quid miserorum creditur ulli,
Poenitet, et facto torqueor ipse meo.

Sed ut in his diutius immorer, opus non est, quum Acatholici ipsi ab ejus doctrina hac in parte recedant. Nam Vossius in *Ethym.* vocem graecam *Metanaea* non solam mentis emendationem, sed dolorem ob patratum crimen innuere asserit; assentiuntur Dallaeus lib. III. *de Poen. et satisf.* c. 2. atque ex Lutheranis Buddaeus *lib.* IV. c. 1. §. 35. Poenas tamen satisfactorias necessarias esse inficias eunt. Unde Molinaeus *de Poen. et clav.* lib. I. c. V. superstitionis Romanam Ecclesiam arguit, quod virtutem poenitentiae in poenam mutaverit. Lepide tamen, et imperite: quandoquidem ea mentis emendationem, dolorem ob admissa crimina, constans bene vivendi propositum exigit, mandatque; poenas autem satisfactorias ob divini verbi auctoritatem, perpetuumque Ecclesiae usum jure meritoque praescribit.

§. CCXCI.

Jam vero poenitentiam novae legis sacramentis accensebit merito, quisquis perpendat, ad eorum requiri naturam, signum sensibile, quod ex Divina institutione producendae gratiae virtutem habeat (§. CCXXVI.). Haec porro in hoc sacramento cuncta

Est verum novae legis sacramentum.

adinveniri, adversus Heterodoxos facile est ostendere. Etenim Christus Dominus Apostolis omnibus, ac praesertim Petro ligandi contulit et solvendi potestatem amplissimam (§. XCVII. XCVIII.) ad eorum successores transmittendam (§. CVII.), quibus etiam post resurrectionem suam dixit (Joan. XX. 22.): *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*. Quis itaque non videat, futuram in Ecclesia perpetuam peccatorum remittendorum facultatem? At enim, qui lapsus est, ut delictorum obtineat remissionem, ea cum interno animi dolore manifestare debet; minister vero per determinata verba absolutionem impendere. Quae cum externa sint, sensibile hujus sacramenti signum constituunt. Porro in peccatorum remissione Dei gratia apparet maxima, per quam ex inimicis ipsius amici, ex peccatoribus justi constituimur. Quid! quod poenitentiam novae legis sacramentum esse evincitur ex vetustis Ecclesiae Patribus, Tertulliano (*De praescr pt.* cap. 40.), Origene (Hom. II. *in Levit.*), Cypriano (*De lapsis* cap. 12.), Paciano (Epist. I.), Chrysostomo (Lib. III. *de Sacer.*), Ambrosio (Lib. I. *de Poen.* cap. 2.), Augustino (Epist. 238. n. 8.), aliisque pluribus, quos brevitatis causa praetereo. Sed validissimum accedit ex omnium Ecclesiarum consensione argumentum. Latinam Ecclesiam hoc nostrum tradidisse dogma dubio procul invenerunt, qui ab ejudem sinu se divulserunt. Graecos in eadem semper persuasione fuisse versatos, eorum poenitentiales libri ostendunt (Vid. Morinum *in appendice de poenit.*), declarantque Simeon Thessalonicensis, Gabriel Philadelphiensis, Nicephorus Paschalius, Gregorius Protosyncellus, Jeremias Patriarcha. Quod si de Orientalibus sermo sit, eorumdem liturgici libri, et canonici scriptores (Renaudotius tom. V. perp. lib. III. c. V.) id aperte demonstrant.

Scholion. Inter vetustos haereticos an Montanistae ac Novatiani agnoverint semper poenitentiae Sacramentum, res haud est apud eruditos perspicua. Hos enim ac Novatianos maxime aliquo saltem tempore hoc dogma repudiasse ostendit Berti lib. 34. c. 2.

Quantum ad Waldenses, Theologorum pars maxima judicant errasse quidem quantum ad ministrum; Sacramentum autem ipsum agnovisse, a quorum tamen sententia recedit Nat. Alexander *Hist. Eccl.* Saec. X. et XI. c. 4. art. 13. §. 3. Wicleffum, et Huss poenitentiam e Sacramentorum numero haud expunxisse ostendit Bossuetus *Hist. des var. liv.* VI. n. 104. et 105. At Zwinglius *lib. de vera et falsa Relig.* cap. *de Sacr.*, Calvinus lib. IV. *Instit.* c. 19. ejusque sectatores poenitentiam Sacramentum esse a baptismo distinctum iverunt inficias. Quantum ad Lutherum attinet, prodidit ipse animi sui levitatem, quum lib. *de Babyl. Captiv.* primo poenitentiam inter Sacramenta recensuit, ac postea solum baptisma ac panem admisit. In Apologia *confessionis Augustanae*, quae Classicus est Lutheranorum liber, legitur: *Vere igitur sunt Sacramenta*, *Baptismus*, *Coena Domini*, *et Absolutio*, *quae est Sacramentum poenitentiae.* Sed Chemnitius, Matthias Illyricus, ac inter recentiores Buddaeus Apologiae verba de Sacramento late sumpto interpretantur; ac duo tantum admittunt Sacramenta. Apud eos, qui Catechismo utuntur Lutheri, post peccatorum confessionem, quam tamen omnium in specie haud necessariam esse existimant, Pastor ait: *Ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua in nomine Patris* etc. At actum judicialem nullum exerceri contendunt; sed solum esse volunt ministerium declarandi remissa esse peccata, quorum poenitens veniam obtinet ob solam fidem, qua merita et Christi satisfactionem apprehendit, ut ait Buddaeus lib. IV. c. 3. §. 85.

Candide tamen fatendum est, Joan. LXXII. Patriarcham Jacobitarum saeculo XII. sacramentalem confessionem abrogasse; ejusdemque mentis fuisse Marcum *Zaraa* filium ejus successorem, ac Michaelem quemdam Damiatae Metropolitam. Attamen ex hoc facto apparet, apud Jacobitas ante haec tempora sacramentum hoc generatim fuisse receptum. Immo Marcus *Elconbar* filius pro vetusta doctrina stetit, publicisque in concionibus propugnavit, cui Monachorum sex millia adhaeserunt, necnon Ebnassalus Canonista, ejusque frater *Theologus* dictus. Tantum haec veritas apud Jacobitas invaluerat, ut nullam

suorum Patriarcharum, qui adversus vetustatem insurrexerant, rationem habendam esse existimarent. Lusitani adinvenerunt Nestorianos in Malabaria degentes in more habuisse confiteri peccata soli Deo, dum sacerdos in liturgia adolet incensum: at hos etiam recessisse a suae Ecclesiae consuetudine inde apparet, quod in eorum liturgicis libris absolutionis formula appareat; atque Cl. Assemani *tom. 2. bibliot. Orient.* p. 171. ex manuscripto asservato in Bibliotheca Vaticana ostendit, eos peccata etiam cogitationis confiteri, habere formulam absolutionis, ac canonicam poenitentiam ab ipsis imponi.

§. CCXCII.

Distinctum a baptismo.

Magno in errore versantur, quotquot affirmant, poenitentiam Sacramentum non esse a baptismo distinctum, atque ejusdem reminiscentia delicta cuncta nobis condonari. Quandoquidem Petrus (Act. VIII. 22.) non ad baptismi memoriam, sed ad poenitentiam seriam Simonem Magum hortatus est. Joannes quoque Evangelista peccatoribus nec leviter baptismum insinnavit, sed docuit potius (Epist. I. c. 1.): *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus Deus, ut remittat nobis peccata nostra.* Sed quid opus est multis? Quum Salvator ipse apertum inter utrumque sacramentum posuerit discrimen? De baptismo dixit: *Euntes docete . . . baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (§. CCXXIX.), at, quantum attinet ad delenda, quae post baptismum patrantur, delicta, ligandi ac solvendi, nec non remittendi peccata auctoritatem Apostolis contulit (§. praec.). Unde etiam perspicuum est, sensibile baptismi signum aquam esse, ac verba, quibus consecratur, invocationem SS. Trinitatis (§. CCXXIX.), quorum neutrum occurrit in poenitentiae sacramento: accedit his, primum haud iterari (§. CCXLIII.), aliud repeti saepe posse; illius ministrum urgente necessitate esse quemlibet (§. CCXXXVIII.), hujus illum solum, qui ligandi ac solvendi auctoritate est insignitus. Neque idem in utroque Sacramento effectus percipitur; in baptismo enim originale, ac actualia nobis remittuntur peccata, aeterna ac temporalis poena remittitur omnis, fructusque passionis Christi

nobis applicatur uberrimus (§. CCXLII.) ; at per poenitentiam admissum scelus in se punire tenetur quilibet (§. CCXC.). Toto itaque ut ajunt, coelo utrumque differt sacramentum. Haud ignoramus, Calvinianos conari, ad suas partes trahere Augustinum; sed ejusdem patrocinio eos exutos imus. Nam S. Pater (Epist. 98. *ad Bonifac.* n. 2.) postquam docuerat, parvulum per baptismum regenerari, addit: *quod si ad adultam etatem perveniens propria impietate malus evaserit, tunc . . . propria incipiet habere peccata, quae non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanentur.* Hinc apparet Tridentinos Patres (Sess. XIII. can. 2. et cap. 2.) in eos, qui sacramentum baptismi cum sacramento poenitentiae confundunt, merito dixisse anathema.

Scholion. Calvinistae, ut manifestum fit ex Turretino *loc. 19. quaest. 19.* affirmant per baptismum obsignari remissionem non praeteritorum dumtaxat et praesentium, sed futurorum etiam peccatorum; ac ex memoria *practica* baptismi semel suscepti peccata post baptismum patrata remitti. Cujus assertionis praecipuam hanc afferunt rationem, nempe, quod tale esse debeat baptisma, quale est foedus gratuitum, per cujus gratiam baptisma est efficax; baptisma enim, et foedus se mutuo respiciunt, ut signum, et res significata: foedus autem gratuitum est perpetuum, extendens se ad remissionem omnium peccatorum etiam futurorum Gen. 17. 7. Quod si foedus gratuitum non sufficeret, oportere secundum numerum peccatorum multiplicare foedus ipsum. At levia sunt haec: nam verum quidem est, quod et Ecclesia docet, baptisma in hominibus manere perpetuum; sed eo quod consecrationem quamdam animae confert, quam characterem nuncupamus (§. CCXLIII.). Foedus etiam Deum inter, et baptizatum hominem iniri non diffitemur, quod ex parte Dei constanter manet; ipse enim in suis promissis fidelis est, ac constans. At foederis hujus intuitu tantum abest, ut delicta post baptismum patrata tamquam per causam proximam et immediatam deleantur, quod compertum habeam, nec per illud foedus peccata deleri, quibus ante baptismum homines sunt inquinati; foedus enim inter

eos iniri solet, qui si hostes antea fuerant, jam invicem reconciliati, ac amici facti sunt; quo fit, ut efficacia baptismi propria, a Deo communicata peccatum originale ac actualia, si quae sunt, remittantur; ac inde Deum inter et homines, qui jam Dei amici redditi sunt, ac filii adoptivi, foedus oriatur. Accedit his, homines in grave peccatum lapsos, foedus, quod cum Deo contraxerunt, quantum in ipsis est, dissipare, unde Isa. 24. 5. legimus: *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt foedus sempiternum.* Vid. et *Zach. XI.* 10. Qui itaque in grave scelus prolapsi sunt, inter foederatos amicosque Dei recenseri amplius non possunt, unde nec vi foederis quod ipsi violarunt, peccata praesentia, ac futura deleri queunt. Sed si memoria baptismi *practica* delerentur peccata singula, eccur Christus Apostolis, eorumque successoribus ea remittendi potestatem dedisset? Nihilominus quoniam baptismum omnium sacramentorum janua est, vitaeque spiritualis initium, peccatorum remissio eidem tamquam *remotae* causae tribuitur, quamvis causa *immediata* et *proxima* sit ipsum poenitentiae sacramentum. Ad praecavendas tamen heterodoxorum cavillationes, observandum est, verba *Matthaei 18. et Ioan. 20.* in sensu proprio, nativo, litterali a SS. Patribus de clavium potestate, ac peccatorum remissione intelligi; nihilominus ad sensus minus proprios interdum accommodari, ac nonnunquam accipi de praedicationis ministerio, de ipso baptismo, vel de correctione fraterna, aut de injuriis invicem condonandis. Attamen distinguunt ii inter remissionem peccatorum, quae fit injurias invicem condonando *commiseratione caritatis*, ab ea, quae ab Ecclesiae ministris fit *ob clavium potestatem*; hanc vero, non alteram vocant sacramentalem.

§. CCXCIII.

Tempus institutionis.

Divinam institutionem huic inesse Sacramento perspicue evincunt laudata (§. CCXCI.) Scripturae testimonia. At vero, si de institutionis tempore loquamur, id praecipue tunc contigisse arbitramur, quando post resurrectionem suam Christus remittendi peccata auctoritatem Apostolis contulit. Doctrinam

hanc PP. Tridentini (Sess. XIV. c. 1.) ex universo Patrum consensu tradiderunt. Quo fit, ut, cum Christus Petro claves, reliquisque Apostolis ligandi et solvendi potestatem dedit, adpromiserit quidem, non autem instituerit poenitentiae Sacramentum.

§. CCXCIV.

At enim poenitentiae Sacramentum lapsis post baptismum hominibus necessarium prorsus esse, aequus rerum aestimator dubitare nullus poterit, si perpendat, in supremi Numinis gratiam redire posse neminem, qui suis ingratus beneficiis graviter deliquit, neglectis a Salvatore institutis mediis, quibus peccatorum veniam impertiri placet. Itaque quum Christus Dominus peccata remittendi, solvendi, ac ligandi potestatem legitimis ministris contulerit (§. CCXCI.), atque adpromiserit, se ratum habiturum in coelis, quod ipsi in terris nomine suo solverint, remiserintque; fit, ut qui ab iis peccatorum vinculo solutus non est, nec veniam, nec aeternam salutem consequi valeat. Unde Augustinus sapienter scribebat (Epist. 228. *ad Honoratum* n. 8.): *Si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati! quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitae aeternae requie non habebunt!* Hinc PP. Tridentini dixerunt jure (Sess. XIV. c. 2.) hoc Sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.

Lapsis hominibus est prorsus necessarium ad salutem.

Scholion. Dallaeus in quatuor adversus *Confessionem* libris congessit plura, ut judiciariam potestatem a sacris ministris adimat, ac simul sacramenti hujus necessitatem convellat. Perpauca adferre animus est. Paulus I. *ad Corinth. IV.* scribit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*, et epist. II. IV. 4. *Nos autem servos vestros per Jesum*: quae satis declarant potestatem judiciariam nullam ipsis fuisse collatam. Ait II. si gratis concederetur, hanc a Christo Domino obtinuisse, non tamen necesse esset ad eos confugere, quum ad ipsum Deum, qui peccata condonare para-

tus est, aditus pateat. Verum nullum haec nobis negotium facessunt. Etenim, Apostoli dixerunt se ministros ac dispensatores mysteriorum Dei, quia abscondita a saeculis mysteria annuntiando Evangelium mundo aperuerunt; tum eo quod Sacramentorum efficacia ab eorum virtute ac probitate haud pendet; nec ii primarii sunt auctores gratiae. Porro potestatem eorum judiciariam haec minime laedunt, qua Paulus ipse a Christo se exornatum esse sciebat, ac non raro assumpsit in usum (§. XCIV.). Servos autem fidelium se nuncuparunt, Christi Domini imitantes exemplum, qui ad ministrandum aliis se venisse affirmavit Matth. XX. 28. Et vero, sacro licet imperio ii praediti essent (§. XCV. XCVII.), ministerio tamen similius erat (§. XCVI.), atque vigiliis, laboribus, periculis vitae propriae non parcebant, ut animarum procurarent salutem. Sed quid haec adversus judiciariam in poenitentiae Sacramento potestatem? Alterum Dallaei argumentum leve, infirmumque est. Quandoquidem, si nullum Deus mandatum dedit, ut lapsi homines ministris sacris delicta sua aperiant; eccur primitivae Ecclesiae fideles cum rubore maximo ea in conspectu Ecclesiae annuntiare tenebantur? Cur gravi admodum poenitentia ab Episcopis onerabantur? Annon reposuissent, patet nobis pro culpis ad Deum aditus, nec vestra opera indigemus? Fateatur itaque Dallaeus oportet, doctrinam suam Ecclesiae puriori omnino fuisse ignotam. Jam vero quum peccatorum venia, maxima sit Divinae misericordiae gratia, ad illam obtinendam ea praestemus, oportet, quae ipse jussit. Quapropter si remittendi peccata auctoritatem ministris suis voluit conferre, quisquis instituta ab eo media despicit, eorum remissionem haud obtinebit. Attamen quum ad Ecclesiae ministros accedimus, ad Deum ipsum primario per fidem, timorem, spem, amorem, cum intenso de ipsius offensa dolore, constantique bene vivendi proposito confugere debemus; ac ipsemet auctoritate suprema, ac propria virtute peccata remittit, etsi ejus nomine ac potestate ipsis concessa Sacerdotes etiam eadem indulgeant. Dallaeum confutavit Nat. Alexander Saec. XIII. et XIV. diss. XIV.

§. CCXCV.

Unde in Ecclesia est potestas remittendi prorsus omnia peccata.

Christus Dominus claves Ecclesiae dedit, summae potestatis symbolum (§. XC.), dixitque Apostolis suis: *Quorum remiseritis peccata: quaecumque solveritis:* quibus auctoritatem ipsorum nullis limitibus definivit ac circumscripsit (§. CCXCI.). Delirarunt itaque, quotquot affirmare ausi sunt, in Ecclesia quodlibet grave facinus remittendi facultatem minime adesse. Doctrinam hanc ab Ecclesiae Patribus propugnatam constanter novimus. Tertullianus ipse, antequam ad Montanistarum castra deflecteret, hanc veritatem firmissimis (*Lib. de poenit.* c. 4.) argumentis defendit. Accedunt Cyprianus una cum Synodo Carthaginensi (*Hujus Synodi mentionem facit S. Doctor* Ep. 54. *ad Cornelium*), Pacianus (Ep. I. *ad Sempron.*), Hieronymus (Epist. *ad Oceanum*), Ambrosius (Lib. I. *de poen.* c. 2. seq.), Hilarius (In c. 18. Matth.), Augustinus (*De agone Christ.* c. 31. n. 33.). Coronidem imponat celeberrimus Chrysostomi locus (Lib. 3. *de Sacerd.* edit. *Montfauconii* p. 388.), ubi asserit, Sacerdotes accepisse potestatem quam *neque Angelis*, *neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est, quaecumque ligaveritis in terra, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in coelo. Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum. Hoc autem vinculum ipsam attingit animam, coelosque transcendit, ac quaecumque inferne Sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud eis dedit, quam omnium coelestium potestatem? Nam, quorum, inquit, remiseritis peccata, remittuntur, et quorum retinueritis, retenta sunt. Quae major hac potestas fuerit? Omne judicium dedit Pater filio, videoque ipsum omne ipsis traditum a filio esse.* Nihil praestantius in rem nostram dici poterat.

Scholion. Montanistae ac Novatiani, quorum inconstans fuit hoc sacramento doctrina, eo devenerunt, ut saltem gravissima peccata ab Ecclesia re-

mitti haud posse affirmarent. Montanistas quidem eorumque Pseudoprophetas Galliae Asiaeque Episcopi damnarunt. Vid. Eusebium lib. V. Hist. Eccl. cap. 3. 15. 16.; aliis vero fortiter obstitit Cornelius Rom. Pontif. qui in Romana sexaginta Episcoporum Synodo eorum sententiam veluti inhumanissimam, et a fraterna caritate alienam proscripsit, cui assensum praebuere, qui per Italiam, Africam, aliasque provincias erant Episcopi. Conf. Eusebium lib. VI. c. 43.

Ex propositis jam argumentis apparet, quantum a veritate aberret, quod M. Antonius de Dominis, Systema praeformavit. Arbitratur ille, peccata publica Ecclesiae clavibus subjecta esse, non autem occulta; illa ab Ecclesia quantum ad culpam et poenam attinet, solvi, indirecte tamen; eo quod soluto ab Ecclesiae pastoribus anathematis vinculo Deus solus interne peccata remittit. Considerat insuper peccata, quatenus Ecclesiam offendunt, et Deum; offensam suam ab Ecclesia directe remitti autumat; Dei vero indirecte. Hallucinatur Spalatensis Apostata; nam peccata quaecumque solvendi et remittendi Ecclesia potestatem a Christo accepit, proindeque etiam occulta; ac quamvis potestate primaria ac independenti solus Deus peccata remittat, potestate tamen secundaria, atque a Christo accepta tamquam animarum judices a peccatis solvunt.

§. CCXCVI.

Nonnullae difficultates. Duo praecipue sacrorum librorum testimonia veluti assertionis suae validissimum fulcrum afferebant Novatiani. Depromebant primum ex his Christi verbis (Matt. XII. 31. et Mar. III. 29. ille dicitur *reus aeterni delicti*): *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur, et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro;* repetebant alterum ex Paulo scribente (Ad Hebr. VI. 4.): *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste . . . . rursus renovari ad poenitentiam;* qui etiam subdit (X. 26.): *Voluntarie enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

§. CCXCVII.

Spiritus blasphemiam Augustinus (*Serm. 70. de verbis Apost.* n. 25.) esse judicat *peccatum impoenitentiae contra donum Dei et gratiam regenerationis, vel reconciliationis, quae fit in Ecclesia in Spiritu Sancto*: peccatum nempe eorum, qui haeresi vel Schismate ab Ecclesia discissi sunt, qui si agant poenitentiam, ad veritatem tamen redire nolint, salutem consequi minime poterunt (*). Verum Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus arbitrantur Spiritus S. blasphemiam esse, ejusdem Spiritus opera attribuere Beelzebub, quemadmodum fecerant impie Pharisaei. Jam vero peccatum istud non remitti, dicitur, eo quod raro, difficulter, ac in paucis ob cordis nequitiam ac obdurationem condonatur. Neque est sacrorum librorum consuetudine alienum, id, quod magnam habet difficultatem iis describere verbis, quasi haud foret possibile (Jerem. XIII. 25. Matth. XIX. 24.). Et re quidem vera Judaei, qui gravi hoc scelere contaminabantur, ac promissum liberatorem morti tradiderant ad poenitentiam a Petro vocabantur (Act. II. 38.). His adde, quod cum sacrae litterae a majori parte denominationem accipere soleant (III. Regum XIX. 10. Confer Paulum ad Rom. XI. 4. ps. XIII. 3. CXV. 11.); hinc blasphemi in Spiritum S. rei dicuntur *aeterni delicti*, quoniam pars eorum maxima obfirmata in malo decedit. Eadem responsione alterum ex Paulo depromptum argumentum concidit. Quamvis multorum Patrum doctrina est, Doctorem gentium, poenitentiae nomine baptisma, quod iterari nequit (§. CCXLIII.), intellexisse. Et sane ipse jam dixerat (Ib. v. 1. et 2.) : *Non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum;* unde apparet de ea loquutum poenitentia, quae baptismi comitatur Sacramentum; cumque renovandi etiam utatur verbo, quod ad baptismatis Sacramentum attinet (§. CCXXVII.) videtur Apo- Solvuntur.

(*) Augustini responsionem adversus Bellarminum et Tournellium vindicat Cl. Berti lib. 34. c. 3.

stolum lapsis tantum adimere baptisma secundum. Quamobrem quum addit Apostolus, voluntarie peccantibus non relinqui pro peccato hostiam, de eadem baptismali hostia eundem cum Chrysostomo (Hom. XX.) explanare facile possumus; quod si magis placeat, Paulum de iis, qui deserunt Christi Ecclesiam intelligendum esse, haud repugnabo, quum loci contextus id videatur innuere.

Scholion. Multa quidem sunt Scripturarum testimonia, ubi declaratur, Deum peccatoribus parcere nolle; sed plurima sunt alia, qu bus ipse omnibus prorsus poenitentibus veniam spondet. Quamobrem observes velim, aliud esse Deum interdum scelestis ob eorum excaecationem et obdurationem, gratiae auxilia, unde convertantur, sub rahere, aliud esse, peccata quaedam remitti minime posse: primum judicamus verum (§. CCIX.), alterum, ut omni veritatis fundamento destitutum rejicimus ac detestamur. Fuerunt quidem nonnullae Ecclesiae gravissimis peccatoribus nec in mortis articulo absolutionem impendentes, at id ad deterrendos a peccatis gravissimis homines, rigidioris disciplinae causa praestabant; verum in Ecclesia ea dimittendi auctoritatem esse, non ibant inficias. Vid. Duguet *conf. Eccl. tom. I. Diss.* VI. XVI. et XVII.

§. CCXCVIII.

Poenitentiae partes. Poenitentiae partes, quas etiam asserimus signi sensibilis locum tenere, tres sunt, contritio, confessio, et satisfactio. Id non solum Eugenius IV. (*In decreto pro Armen. instruct.*) clare statuerat; verum etiam sanciverunt Tridentini Patres (Sess. XIV. can. IV.): *Si quis negaverit*, ajunt, *ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, videlicet contritionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur, anathema sit.* Audacter more suo Lutherus, quae ex his partibus coalescit poenitentia, irritam vocat, ac ei, quam proditor Judas fecit, prorsus similem. (*In refut. artic. Lovan. prop. 37.*). At quam insigniter decipiatur, inde colligitur, quod praeclarissimi Ecclesiae Patres traditionis custodes ac

propugnatores, nobiscum penitus sentiant. Augustinus Psalmistae verba explanans (Ps. 246.): *Qui sanat contritos corde*, inquit: *Sanat contritos corde*, *sanat seipsos punientes*. Jam ante ipsum Cyprianus (*Lib. de lapsis*), et Chrysostomus (Hom. de poenit.) eamdem veritatem docuerant.

Scholion. Catholici Theologi fatentur omnes, commemoratas poenitentiae partes vel ad substantiam, vel ad Sacramenti integritatem pertinere. Qui S. Thomae Aquin. sequuntur doctrinam, laudatos tres actus sensibile hujus Sacramenti signum constituere judicant. Qui vero *Scotum* habent praeceptorem, absolutionem, quatenus ritus est subjectus sensibus, hujus Sacramenti *materiam* agnoscunt; nec defuerunt percelebres viri, qui hac in parte iis adhaeserunt. Quaerunt alii in manuum impositione ritum sensibilem. *Durandus* autem in confessione peccatorum, ac *Gersonius* in poenitente ipso reponit.

Paucis refellenda est Lutheri, et Calvini doctrina: primus docuit, ut ex Pallavicino evincitur *lib. XII. hist. conc. Trid.* c. X. poenitentiae partes esse terrores conscientiae incussos, et fidem ex Evangelio vel absolutione conceptam, qua quis credit remissa sibi esse peccata. Perperam; nam incussi terrores excitare quidem ad poenitentiam nos possunt, quamvis nec semper effectum hunc obtinent; sed partem essentialem poenitentiae non constituunt; eo vel magis, quod in Lutheri Systemate dolor ex terrore nascens hominem hypocritam magis, et peccatorem constituit, cujus doctrinam rigidi Lutherani sequuntur, ut ex *colloquio Altenburgensi Col.* IV. apparet. Fiducia vero illa, qua quis certo credit sibi remissa esse peccata, absque Divina revelatione haberi nequit, ut suo loco ostendemus. Calvinus in mortificatione et vivificatione poenitentiae partes reponens, affirmansque utramque fidei justificantis fructum esse, partes poenitentiae justificatione posteriores constituit, quum tamen sit certum eas justificationem debere praecedere. Quandoquidem *Ezech.* XVIII. 21. 22. ait Dominus: *Si autem impius egerit poenitentiam .... omnium iniquitatum, quas operatus est, non recordabor*; *et Act.* III. 19. *Poenitemini igitur, et convertimini*,

ut deleantur peccata vestra. Vid. Bellarminus *lib. de poen.* C. 19. et 20. lib. II. C. 2.

§. CCXCIX.

Quid sit contritio. Contritio, ut docent Tridentini Patres (Sess. XIV. Cap. IV.), *est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero;* quae nullo non tempore ab obtinendam a Deo veniam necessaria fuit: in lege autem Evangelica reliqua adhuc praestanda sunt, quae ad percipiendum Sacramentum ex Christi institutione requiruntur. Hunc porro dolorem, ac peccati detestationem praeveniunt fides, timor, spes ac Dei amor, quo illum uti omnis justitiae fontem diligere peccatores incipiunt (Tridentinum Concil. Sess. VI. Cap. VI. Confer Pallavicinum hist. Conc. lib. VIII. c. 13.). At contritio novae vitae propositum etiam debet includere, unde apud Isaiam legimus (I. 16.): *Auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse; discite bene facere:* neque enim Deus peccata liberaliter condonaret, si latentem in corde affectum ad malum inspiceret. Tum contritio interna esse debet, vera, ex supernaturali motivo concepta, ac peccata omnia detestetur, oportet. Dividitur vero in perfectam, et imperfectam: prima ex perfecta charitate, sive amore Dei intenso exoritur, hujusque tanta est efficacia, ut ante receptum Sacramentum hominem justum reddat; altera attritionis nomine, invento primum seculo XIII. donari solet; quae si ex supernaturali gehennae timore, ac peccati turpitudine concipiatur, nullumque benevolum Dei amorem includat, *attritio servilis* nuncupatur; si vero ex poenae timore ad initialem Dei amorem progrediatur, *attritio initialis* a Theologis vocatur.

Scholion. Contritionis nomen a rebus corporeis, quae in partes minutissimas conteruntur, comminuunturque, depromptum est, atque inde per metaphoram ad res spirituales translatum: apposite tamen, quum in Ps. L. v. 19. legatur: *Cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.* Quamobrem contritionis voce innuitur, cor hominis adversus legem Divinam contumax, obduratumque Divina virtute emol-

liri, ac immutari. Unde ajebat per Ezechielem Deus XI. 19. *Auferam cor lapideum, et dabo vobis cor carneum.* Attritio etiam ab iis corporibus desumpta est, quae atterunt quidem, sed non comminuuntur.

Timor Dei, qui et Spiritus S. donum, salutaris est, ac ab ipso Christo Domino commendatus: *Timete eum*, inquiebat Matth. X. 28. *qui potest animam et corpus perdere in gehennam*; atque Augustinus, cujus auctoritate Lutherus abutebatur, scribit in Ps. 127. *Bonus est, et iste timor est utilis . . . . quo timet, ne mittatur in gehennam.* Confer PP. Tridentinos *sess.* VI. c. VIII. Verum, cum Augustinus ipse *tract.* IX. in *Joan.* n. 4. et alibi saepe scribat timorem bonum datum esse, ut introducat caritatem, fit, ut, si quis post timorem peccatum haud odio habeat, prout offensam Dei, nec aliquod saltem habeat verae caritatis initium, qua incipiat diligere Deum, tamquam omnis justitiae fontem, rectus non servetur ordo, ac habeatur aliquod non timoris, sed timentis vitio, quod bonum non est. Unde inducor ut credam, poenitentiam in solo timore permanentem ad obtinendam in hoc Sacramento veniam haud sufficere. Sed hac de re plura in Morali Theologia. Vid. Berti lib. 34. n. 5. seq. Witasse, Drowen, Juvenin, le Drou Augustinianum *de Contritione, et attritione*, Episcopi Castoriensis *Amor poenitens.*

§. CCC.

Attamen, ut delictorum veniam a Deo obtineamus, haud sufficit, nos ita affectos esse animo, ut de admissa culpa doleamus, atque in posterum peccare minime velle constituamus; verum etiam cuncta gravia peccata iis, quibus Christus ligandi potestatem dedit, aperire oportet. Id vero est, quod Confessionis nomine intelligimus: *Quae peccatorum est accusatio ad Sacramenti genus pertinens, eo suscepta fine, ut virtute clavium veniam impetremus* (*Catech. Rom.* p. II. c. V. n. 38.). Graeci exomologesim nuncupant (§. CCXC.), quae vox apud vetustos nonnullos Latinos Patres etiam invaluit (Tertullianus *de orat.* c. VII. Cyprianus *de lapsis*). Haud tamen diffitemur exomologesim pro integra poenitentiae actio- Quid confessio.

ne aliquando sumi (Basilius epist. Can. c. 2. Tertullianus *de poen.* c. IX. Cyprianus ep. LV. ad Cornelium). Unde apparet quod ex adjunctis circumstantiis, quando pro Sacramentali confessione accipienda sit, dignoscere Theologus debeat.

Scholion. Non uno sensu confessionis vox in sacris litteris accipitur : nonnumquam *fidei confessionem* significat *Matth.* X. 22. aliquando *confessionem laudis Matth.* XI. 25. tum peccatorum confessionem I. *Joan. Epist. I. 9.* quam apud Judaeos in more positam fuisse pluribus ostendunt Leo de Mutina *Cerem.* Judaeorum, ac Morinus lib. XI. *de administr. poenit.* c. 33. seq. Confer Danielem Huetium *in quaest. Alnetanis lib.* II. c. 20.

§. CCCI.

A Christo Domino instituta, ac mandata.

Contulit Salvator ipse ministris suis, quorum futura erat in Ecclesia successio perpetua, solvendi, ac ligandi, retinendi, et remittendi peccata auctoritatem amplissimam (§. CCXCI.). Ex quo consequitur, voluisse Christum Dominum fideles suos Ecclesiae clavibus esse subjectos (§. XC.); cumque sacerdotes interna cordium penetrare nequeant, ac solis externis mediis in rerum, quas solvere possunt, ac ligare, remittere, ac retinere cognitionem venire; fit ut Christiani iisdem ex divino mandato aperire sua crimina debeant. Quamobrem, quum sine peccatorum confessione persistere nequeaut potestas a Christo ministris suis collata, fit, ut confessio a Christo instituta fuerit, atque praecepta. Et vero quis aequus judex, nisi omnibus causae adjunctis diligenter libratis pronuntiabit sententiam : quis peritus Medicus nisi morbi inquirat rationes, salubre pharmacum praescribere queat? Unde praeclare Tridentini PP. docuerunt (Sess. XIV. cap. V.), Sacerdotes *judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem in poenis injungendis, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac sigillatim* (fideles) *sua ipsis peccata declarassent.*

Scholion. Praeter vetustiores nonnullos, confessionem instituti humani esse, nec vere contritis neces-

sariam Wicleffus asseruit. Lutherus parum sibi constans, quum eam primo commendasset, in articulis suis a Leone X. proscriptis, *cruentissimam carnificinam* nuncupat: huic OEcolampadius, Melanchton, aliique assensum praebuere. Calvinus autem *lib. III. instit. c. IV.* adversus eamdem pluribus debacchatur; nihilo tamen minus utilem eam esse ei, qui angitur, et affligtatur peccatorum sensu, affirmat; ac ad se sublevandum posse eundem privata uti confessione apud Pastorem suum, inquit ipsemet §. XII. Quatuor libris confessionem elevare conatus est Dallaeus. At Calvinianus scriptor articuli *Encyclopediae*, *Confession privée*, etsi adversus Ecclesiae Romanae morem insurgit; tamen fatetur, nihil utilius futurum fore, quam usum privatae Confessionis, quo una in anno vice pastorem suum adiret quilibet, ut ipsi veluti meliori amicorum suorum, secreta cordis, inclinationes, desideria sua aperiret, peteretque ab eo sua consilia, suas preces, suas consolationes. Quod si res ita se habet, cur probrosis adeo verbis adversus Ecclesiae vetustam consuetudinem in ipso Dei verbo fundatam Acatholici insurgant, videre sane non possum.

§. CCCII.

Quam potestatem Sacerdotibus a Christo fuisse concessam agnoverunt semper fideles, qui ad obtinendam peccatorum veniam Ecclesiae se clavibus submittebant, delicta sua confitebantur, ac gravem diuturnamque impositam poenitentiam libenti animo suscipiebant; agnoverunt non minus primitivae Ecclesiae Patres, quemadmodum elaborata ab ipsis opera clare evincunt. S. Barnabas (*) ad fideles, ait: *Confitemini peccata vestra.* Auctor Epistolae *ad Jacobum* (**) scribit: *Si forte in alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat... confiteri ei qui praeest... quo possit fide integra, et operibus bonis poenas aeterni ignis effugere.* Irenaeus (Lib. I. c. XIII. n. 9.) de mulieribus a

Quod et traditione demonstratur.

(*) *In Epist.* n. 9, quam vel Barnabae esse, vel saeculo natam Apostolico ferme omnes consentiunt, ut inquit Caveus.

(**) N. 11. Haec Epistola licet Clementi abjudicetur, antiquissima tamen est, cum Ruffinus ex graeco verterit in Latinum.

Marco haeretico seductis inquit: *Quaedam in manifesto exomologesim faciunt, quaedam vero reverentes hoc ipsum in silentio sensim semetipsas retrahebant desperantes a via Dei, quaedam quidem in totum abscesserunt.* Eccur, quaeso, si Deo soli peccata confiteri sufficit, nec ea expiare poenitentia oportet, mulieres hae a via Dei desperabant, ac ab Ecclesia discedebant? Tertullianus (Lib. *de poenit.* c. X.) eos increpat, qui ob ruborem, ac verecundiam peccata sua non detegunt, additque: *An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?* Porro confessionem Sacerdotibus solis fieri consuetam, inde apparet, quod poenitentes *presbyteris* advolvi, et *caris Dei adgeniculari* scribat. Origenes autem ait (Hom. II. *in Levit.*): *Est adhuc septima licet dura, et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum peccator non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* Cyprianus (Lib. *de lapsis*): *Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est; dum admitti ejus confessio potest; dum confessio, et remissio facta per Sacerdotes apud Deum grata est;* immo et cogitationis peccata detegenda esse contendit. Accedunt Lactantius (Lib. IV. *instit.* c. XVII.), Gregorius Nyssenus (Serm. *in eos, qui alios acerbe judicant*), Basilius (*In reg. brev. resp. 229. et 288.*), Hilarius (*Com.* in cap. XVIII. Matth. n. 8.), Pacianus (*In Exhort. ad poenit.*); Jo. Chrysostomus (Hom. 9. *in Epist. ad Hebr.* et lib. II. et III. *de Sacerd.*), Ambrosius (ut refert Paulus Diaconus *in ejus vita*), Hieronymus (In cap. X. *Eccl.*), Augustinus (Tract. 49. in Joan. n. 24. Serm. II. in Ps. 101. n. 3. et Enar. in Ps. 66.), Innocentius (Epist. *ad Decentium*), Leo Magnus (Epist. 136.), aliique consensu prorsus unanimi.

Scholion. Accedit his perpetuus omnium Ecclesiarum consensus, qui ex vetustissimis Euchologicis libris Latinorum, Graecorum, ac Orientalium evincitur. De Latinis res est omnibus perspicua. Quantum ad Graecos: Joannes Jejunator Gregorio magno contemporaneus *serm. de cons.* poenitenti inquit: *Haec igitur animo revolvens considera, et ad calculum re-*

voca delicta, quae fecisti, quae noctu, quae interdiu, quae sciens, quae ignorans, omnia coram Christo, et electis angelis ejus nihil pudore retinens, aut controhens confidenter mihi peccatori confitere. Videre est antiquos Poenit. apud Morinum, et Allatium lib. III. *de perp. consens.* c. 17. Similia leguntur in Simeone Thessalonicensi, Gabrieli Philadelphiensi, Hieremia Patriarcha *in I. ad Lutheranos responso*, Meletio Syrigo *in Confessione orthodoxa*, quam cum Russiae, et Moldaviae Episcopis confecit *quaest.* 112. De orientalibus vide Reuaudotium tom. V. perp. lib. 3. c. 1. et 2.

§. CCCIII.

Nec eam abrogavit Nectarius

Jactitant heterodoxi se facile ostendere posse nullum esse divinum confessionis praeceptum. Quid? ajunt, an Nectarius Constantinopolitanus Episcopus ob Diaconi cum Matrona nobili facinus presbyterum poenitentiarium, si Christus confessionem instituisset, abrogare ausus fuisset? An unumquemque pro animi sui conscientia, ut Socrates narrat (Lib. V. *hist.* c. 19.), ad Sacramentorum communionem accedere permisisset? At adversariorum pace dicam, eos rei veritatem haud fuisse assequutos. Enimvero, etsi poenitentiarius presbyter privatas etiam fidelium confessiones audiebat; ejus tamen praecipuum munus erat publicae praesidere poenitentiae, ac nemini, nisi peracta imposita poenitentia accessum sinere ad sacra Mysteria. Quod officium, ut ait Socrates, ob haereticos Novatianos nimiae facilitatis in recipiendis ad communionem lapsis Ecclesiam coarguentes, inductum primitus erat. Nec aliud profecto sonant verba, quibus Socrates, ac Sozomenus usi fuere: *πρεσβύτερ ἐπὶ τῆς μετανοίας*; presbyter qui praeest poenitentiae. Nam metanaea in eo ab exomologesi secernitur, quod illa laboriosum opus in sceleris poenam impositum denotat, haec confessionem. Unde fit palam, presbyterum, qui poenitentiae agendae praepositus erat, fuisse abrogatum; non autem illos, qui secretas fidelium confessiones recipiebant. Et vero, quis dicat in tanta urbe, qualis Constantinopolis erat, in tanta fidelium frequentia unicum Sacerdotem ad confessiones recipiendas fuisse constitutum? Sane si vetusta

tempora illa percurramus, plures in Ecclesia qualibet fuisse apparebit. Scrapion in perseqnutione lapsus, morboque gravatus ajebat (*Apud Eusebium* lib. VI. *hist.* c. 44.): *Properate, quaeso, et me quantocius absolvite, accerse mihi unum ex presbyteris.* Origenes (Hom. 2. in Ps. 37.), ut inter eos, cui peccata sna confiteri debent fideles, diligenter inquirant, consulit. Cyprianus (*De Lapsis*), apud Sacerdotes exomologesim fieri testatur. Chrysostomus Nectarii successor Sacerdotibus singulis remittendi peccata anctoritatem a Christo Domino collatam asserit (§. CCXCV.). Immo quisquis antiquitatis Ecclesiasticae vel leviter peritus est, Episcopos ipsos hoc munere functos fuisse addubitare non potest. Itaque Nectarii tempore Sacramentalis confessio haud fuit abrogata. Nec quidquam suffragatur Acatholicis, quod Socrates ait, pro animi lubitu tunc sacra mysteria adire singulis fuisse permissum. Sublato enim publico illo mornm censore, ac indagatore poenitentinm diligentissimo, qui a sacra mensa eos arcebat, pro lubitu quisque poterat Eucharistiam accipere.

Scholion. Non ibo tamen inficias, publicam poenitentiam in Ecclesia Constantinopolitana non penitus fuisse abrogatam, sed sublato poenitentiario nullus erat, qui reos inquireret, nullus qui adigeret, nemo qui renuentem a Sacramentorum communione repelleret. Vid. qnae hac de re scribunt Petavius *in animad. ad S. Epiphanium haer. 59.* Morinus *lib. II. de poenit. c. IX.* Valesius *annotat. in Socratem,* Berti *lib. 34. part. ult. c. I.* Witasse *de poenit.*

§. CCCIV.

Nec S. Jo. Chrysostomus nobis adversatur.

At perperam Calvini asseclae Jo. Chrysostomum veluti abolitae per Nectarium confessionis assertorem producunt. Nam, quamvis eloquentissimus doctor asserat (Hom. XXI. *ad populum Antiochenum*), quod *Deus sibi soli rationem reddere nos jubet, et sibi confiteri .... nec cogit praesentibus quibusdam peccata enuntiare*, tum alibi (Hom II. in Ps. 50.): *Pudet te peccata confiteri? dic ea quotidie in oratione, non dico ut conservo exponas, qui probris impetat, dic Deo, qui ipsis medetur*: nihil-

ominus, si ejus mentem atteuto animo investigemus, confessionis haud excludit necessitatem (In hac ipsa homilia in Ps. 50.): Ipsius enim scopus est, fideles permovere, ut quotidianum vitae examen in conspectu Domini habeant; si peccaverint, doleant, ac cum lacrymis veniam a Deo petant; at non it inficias eosdem tempore debito apud Sacerdotes debere peccata sua enuntiare. Quandoquidem, quum dixisset (In hom. *non esse ad Gratiam concionandum* tom. 2. p. 653.): *Apud conscientiae rationes fiat inquisitio delictorum . . . . Deus te confitentem solus audiet, Deus, qui peccata non exprobrat*, paulo post subdit: *Erubescis peccata confiteri? erubesce peccata committere.* Eccur, quaeso, ad deponendum ruborem hortatur fideles, si soli Deo, Sacerdotes excludendo, fieri debet confessio? Sed animadvertendum quoque est, quae Sacerdoti Dei vices gerenti fit confessio, eam veluti soli Deo factam censeri: ii enim peccata, quae audiunt, evulgare non possunt, nec in Theatrum proferre. Unde Sacerdos graecus Sacramentum ministrans, poenitenti dicere solet: *Ne quaeso, erubescas, non enim mihi peccata enuntias, sed Deo* (Vid. *Euchol. Goarii in orat. Supra poenitentes*). Caeterum S. Doctor ait (Lib. III. *de Sacer.* pag. 364.), quod Sacerdotes *non lepram corporis sed immunditiem animae non purgatam probandi, seu potius purgandi potestatem acceperunt*, quod *post regenerationem admissa peccata condonare possunt.* Egregia etiam sunt, et in rem nostram longe opportuna haec alia S. Doctoris verba (In Orat. *de Samaritana*): *Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, et poenitentiam agere, in die illa non coram uno, vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.*

Scholion. Nec saeculo XII. divinum confessionis praeceptum adhuc in Ecclesia agnitum fuisse Gratiani auctoritate se manifestum facere Dallaeus contendit. Nam, ait, in *decreto p. II. causa 33.* Gratianus quaerit, an sola cordis contritione et secreta satisfactione absque oris confessione, quis possit Deo satisfacere. Argumenta in partem utramque proponit;

ac cujusquam permittit arbitrio, quid magis placeat sentire, quum utraque sententia fautores habeat sapientes ac religiosos viros. Verum Dallaeus praematuram nimis triumphum cecinit. Enimvero Gratiani tempore de divina confessionis institutione, ejusdemque necessitate addubitabat nemo. Controversia huc vergebat omnis: an peccata contritionis ac caritatis efficacia, cum ejusdem tamen voto, ante Sacramentum remitterentur, an in ipso Sacramento delerentur. Nihilominus Gratianus quaestionem his verbis dirimit, §. III. *Quae in assertione hujus sententiae dicta sunt, partim veritate nituntur, partim pondere carent. Sine contritione etenim cordis nullum peccatum posse dimitti: occulta vero peccata secreta satisfactione, publica quoque manifesta poenitentia expiari debere firmissima constat ratione subnixum. Porro sine confessione oris, si facultas confitendi non defuerit, aliquod grave delictum expiari, authoritati penitus probatur adversum.*

§. CCCV.

Confessionis sigillum inviolabile.

At enim, etsi ad obtinendam a Deo veniam, peccata lethalia singula sacerdoti aperire necessum sit; attamen tantum abest, ut lex haec gravis sit, et intoleranda; ut potius tranquillitatem poenitentibus, pacemque spiritus tribuat, nec vel minimum in se contineat, quod dedecoris ac contumeliae aliquid parere queat. Cuilibet enim compertum est, sacerdotes naturali, divino et ecclesiastico jure ad conservandum inviolabile secretum teneri. Adest naturale praeceptum, tum quia aliis haud facere debemus, quod nobis nolumus; tum quia eodem jure datam fidem inviolatam quisque servare debet; at vero poenitens ea conditione occulta cordis sui manifestat, ut nullo in casu velit esse publicanda. Urget non minus mandatum divinum; nam qui finem vult, intendere etiam debet media, sine quibus a fine avocari homines possent: at si ii, qui secreta hominum flagitia audiunt, aliis nota facerent, ab hoc sacramento alieni hominum animi redderentur; unde deducimus, Deum, qui confessionem jussit (§. CCCI.), velle etiam, ut ejus ministri secretum sanctissime teneant. Quantum ad Ecclesiae mandatum, compertum est omni-

bus Concilii Lateranensis IV. decretum (*Omnis utriusque sexus.* Confer concilium Senonense an. 1514. et Tridentinum sess. XIV. cap.), ubi verbo, signo, aut alio quocumque modo peccatorem prodere inhibetur; immo decernitur a sacerdotali officio deponendum, ac detrudendum ad agendam perpetuam in arcto monasterio poenitentiam, qui sigillum confessionis frangere ausus fuerit.

Scholion. Voltairius in *Diction. Philos.* ut confessionem reddat invisam, asserit Gregorium XV. in *Bulla* data 30. Augusti 1622. decernere quibusdam in casibus eam fore revelandam. Sed more suo hallucinatur. Nam laudatus Pontifex Sacerdotem poenitentis confessionem revelare posse numquam affirmavit. Poenitenti tantum jubet, ut, si Confessarius muneris, quod gerit, oblivisceretur, atque insinuaret, quod omni jure ipsi vetitum est, eundem superioribus suis denuntiet; neque enim poenitens ad sigillum tenetur, quod in ipsius favorem est institutum. Auctor impii opusculi *le Christianisme dèvoilè ch.* 13. confessionem moribus inutilem esse scribit, atque has faciles expiationes crimini aditum praebere. Quod si ita esset, *fortes Spiritus*, qui ad Sacramentum accedunt numquam, optimi morum magistri, cultoresque esse deberent. Ipsi viderint! Sed candidi sint et sinceri. Neque confessio est expiatio adeo facilis: nam haec ut vera sit, ac salutaris, dolorem includere debet vitae praeteritae, constans in scelera haud relabendi propositum, efficacemque voluntatem operibus satisfactoriis reparandi malum quod fecimus. Caeterum quot viros, quot mulieres confessionis necessitas, Sacerdotis admonitiones, injunctae salutares poenae non avocarunt a crimine! Ii, qui hujus Sacramenti administri sunt digni, soli norunt.

§. CCCVI.

Postremam attingimus hujus sacramenti partem, quae satisfactio dicitur, cujus nomine intelligimus: *Voluntariam poenae a judice spirituali impositae perpessionem ad compensandam injuriam Deo illatam, expungendamque, quae luenda remanet, temporalem poenam.* Haec dicitur a sacerdote imposi- Satisfactio.

ta, ad discrimen ejus, quam raro poenitens voluntate propria imponit sibi ad intensiorem doloris sui, ac poenitentiae fervorem declarandum. At enim satisfactiones nostrae, quidquid habent meriti, ex plenissima, quam Christus Dominus in ara crucis pro omnibus dedit, satisfactione procul dubio descendit. *Neque vero ita nostra est satisfactio, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum, nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo, unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.* Ita sapientissime Tridentini Patres (Sess. XIV. c. 8.), unde heterodoxi asserentes satisfactionibus nostris passionis Christi meritum obscurari, vel everti, invicte refelluntur, ac quemadmodum infinitae Dei virtuti minime derogat virtus ac efficacia, quam causis secundis ipse attribuit, sed magis coruscat; ita satisfactionum nostrarum virtus, quae a passione Christi descendit omnis, ejus non enervat efficaciam, sed potius commendat.

Scholion. Satisfactio, si generatim consideres, *rei est debitae integra solutio:* peculiari autem modo accipi solet pro compensatione injuriae, quam alteri intuleris. Patres vero ac Theologi usi sunt ad eam designandam compensationem, qua homo pro admissis culpis aliquid pro modulo suo Deo persolvit. Lutherani ac Calvinistae satisfactionem hanc prorsus rejiciunt.

§. CCCVII.

Ejus necessitas. Quoniam dimissa jam culpa ac aeterna poena sacri libri docent, Deum plerumque temporalem poenam haud remittere; atque divino praecepto ut peccatores suorum scelerum agant poenitentiam, est constitutum: hinc satisfactionis necessitas enascitur; quae et Sacramenti hujus partem efficit (§. praec.). Ac primum: Adamum post lapsum in gratiam supremi Numinis fuisse receptum ignorat nemo (Sap. X.), at a diuturnis afflictationibus, et miseriis, quas ob

peccatum incurrit (Gen. III. 17. seq.), Deus minime exemit. Moysis precibus populo Israelis idololatria inquinato pepercit quidem (Exod. 32. 14.), sed temporalem poenam omnem remittere noluit (Ibid. v. 34. Confer Num. XII. XX. 24.). Grave Davidis scelus Dominus transtulit (2. Regum 12. 13.), verum filius adulterio conceptus periit, aliasque ei inflixit calamitates, immo Regius Propheta, Deum semper rogabat, ut se magis ab iniquitate emundaret (Ps. L.). Porro quod peccatores agere poenitentiam Deo praecipiente debeant, jam (§. CCXC. CCXCVIII. Sc. II.) evicimus, ac adhuc ex verbis, quibus Joannes Baptista alloquebatur Judaeos (Matth. III. 7.), compertum fit: *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos poenitentiae.* Eamdem fuisse semper Ecclesiae mentem non obscure ostenditur ex Tertulliano (*De poenit.* cap. 8. 9.), Cypriano (*De lapsis*), Paciano (*Paraen. ad poenit.*), Ambrosio (Lib. II. *de poen.* c. 10.), Chrysostomo (Hom. X. *in Matth.*), Augustino (In Ps. L.), Gregorio Magno (Hom. XX. *in Evang.*), aliisque Ecclesiae Patribus. Sed audire juvat, quae ad rei hujus explanationem Tridentinum Concilium proposuit (Sess. XIV. c. 8.): *Sane et divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati, et Doemonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis sine ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta peccata leviora putantes velut injurii, et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae.*

Scholion. Nec juvat heterodoxos Christum Dominum mulieri peccatrici gratis ejus delicta remisisse *Lucae VII.* 37. Paulumque ad *Eph. IV.* 28. scribere: *Qui furabatur, jam non furetur;* nec ad *Rom. III.* 24. asserere: *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu.* Quandoquidem Salvator, Deus simul et homo erat, tanta-

que insignitus potestate, ut culpam ac poenam omnem dimittere posset. Nihilominus advertere oportet, caritatem, quando summa est, tantae esse virtutis et efficaciae, ut non solum culpam deleat, sed omnem quoque temporalem poenam. Hac porro exornatam fuisse mulierem hanc ipse Christus Dominus fidem facit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit* v. 47. Paulus quidem Ephesios edocet, quo quisque tenebatur vitio, illud in posterum deserat; addit tamen: *Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti;* quibus laboriosum simul, ac misericordiae opus praescribit. Dicimur autem justificari *gratis*, eo quod Christus Dominus nullis praecedentibus bonis nostris meritis passione ac morte sua justificationem nobis promeritus est: *Per gratiam ipsius:* quoniam viribus nostris nec credere, sperare, nec diligere aut poenitere possumus; tum quia, *dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur*, ut ajunt PP. Tridentini sess. XIV. c. 8.

§. CCCVIII.

Poenas satisfactorias Sacerdotes imponere debent.

Jure quidem optimo laudati saepius Tridentini Patres (Sess. XIV. can. 15.) ex collata Ecclesiae potestate clavium, non solvendi tantum, sed etiam ligandi auctoritate Sacerdotes insignitos esse definiunt; atque jus istud ex Christi institutione descendens, eo exerceri tempore, dum confitentibus poenas imponunt. Praeclare Leo Magnus (Epist. 82. *ad Theodorum Forojuliensem Episcopum*): *Christus Jesus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentalem per januam reconciliationis admitterent.* Confirmat stabilitque assertionem nostram Ecclesiae usus, secundum quem ubique ac semper in more positum fuit, ut Sacerdotes iis, qui peccata confitebantur, salutares ac laboriosas poenas injungerent.

Hinc S. Cyprianus in eos invehit, qui poenitentiae remittebant rigorem (*De lapsis*): *Contra Evangelii vigorem*, ait, *contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur, incautis communicatio: irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quaerunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam.* Quam diversa haec sunt ab ea doctrina, quam Lutheri ac Calvini asseclae puriorem ipsam Ecclesiam parvi facientes tradunt!

Scholion. Res est omnibus comperta, Sacerdotes ab Ecclesiae initio poenitentiam fidelibus iujunxisse; haec vel publica est, vel privata. Usus publicae poenitentiae vetustissimus est: est autem illa, *quae in conspectu populi fidelis, vel in Eccles ae conventu fieri solebat.* Hujus primum habemus exemplum in Corinthio incestuoso, quem Paulus in carnis interitum Satanae tradidit: interitus autem iste, sive mortificatio multis mensibus perduravit, quemadmodum ex altera Ecclesiae Corinthiacae ad Paulum epistola fit palam. Joannes Evangelista referente Eusebio lib. III. c. 23. juvenem quemdam latronum Ducem, postquam gemitu ac lacrymis, tum crebris orationibus, ac continuatis jejuniis expiasset culpam, magnumque sincerae poenitentiae exemplum dedisset, Ecclesiae restituit. Hermas, qui et pastor dicitur, scribit: *Domine jam nunc agunt poenitentiam totis praecordiis.* Irenaeus lib. II. c. 9. ac Tertullianus *de poenit.* ostendunt satis, publicam poenitentiam inflictam iis, qui gravi erant delicto inquinati. Verum exorta Novatiana haeresi major adhuc invehi coepit rigor (§. CCCIII.) statutis definitisque certis poenitentiae gradibus. Quatuor autem recenseri solent: *Flentium*, *audientium*, *prostratorum*, *et consistentium*. Qui flentes dicebantur, induti sacco, vultu tristi ante Ecclesiae fores permanere, atque fidelium precibus se commendare tenebantur; atque diuturno tempore hoc in statu non raro permanebant. Vid. *Epist. Canon. Gregorii Thaumaturgi* cap. ultimo, Basilium *Epist. II. can. ad Amphilochium* can. 56. Hieronymum *Epist. 30. ad Oceanum.* His peractis in eam Ecclesiae partem inducebantur, quae

januae vicinior erat, ut Catechismos, aliasque instructiones publicas audire possent. Confer Gregorium can. II. Basilium can. 56. Completo auditionis tempore, quod ad annos tres saepe perdurabat, iis licitum erat, ut Ecclesiae precibus usque ad oblationem assisterent; tum Diacono monente ab Ecclesia debebant egredi, veluti indigni, quod Sacris mysteriis adessent; publicae tamen pro ipsis preces fiebant, atque toto eo tempore in medio Ecclesiae prostrati jacebant; qui hoc defungebantur gradu, poenitentes proprie vocabantur. Vid. laudatos jam Patres, et concilium Ancyranum can. 16. Absoluto hoc poenitentiae tempore secundum communem magis Theologorum sententiam absolutio ipsis dabatur; sancto Sacrificio cum caeteris fidelibus praesentes aderant, at Eucharisticae mensae nondum fiebant participes: hi *consistentes* nuncupabantur. Pro varietate ac gravitate delictorum erat praefinitum poenitentiae tempus, ita ut pro uno tantum delicto annis septem, vel decem, duodecim, quindecim, aut viginti in poenitentia manere debebant. Confer *instructionem S. Caroli ad Confessarios.* Ulteriorem hujus rei notitiam dabit Theologiae moralis professor. Vid. Morinum de *poenit.* lib. 3. seq. Sirmondum *hist. poenit. publicae*, Boileau *de confessione auriculari*, Arnaldum *de frequenti Communione*, Duguet *conf. eccl. dissert.* 39., Petavium *de poenit. publ.*, Albaspinaeum *in obser. eccl.*, Chardon lib. 2. *de poenit.* Petitum, Menardum, Grancolas, Martene.

§. CCCIX.

Ad satisfaciendum Deo redimendasque temporales poenas.

Quamquam ejus sum mentis, quod satisfactoriae poenae non unum in finem ab Ecclesia imponerentur, neque dubito ad aliorum etiam exemplum, Ecclesiae aedificationem, ac majorem peccati ingenerandum horrorem, evitandumque, ne in peccata relaberentur fideles, diuturnam gravemque poenitentiam a Sacerdotibus injunctam fuisse; attamen ad satisfaciendum Deo, redimendasque commeritas temporales poenas impositam praesertim fuisse, inde persuadeor, quod sacrae litterae doceant: *Si populus conversus fuerit a viis suis pessimis, Deum fore eorum peccatis propitium* (2. Paral. 7. 14.). Tum peccata

eleemosynis et misericordiis esse redimenda (Dan. IV. 24.), atque faciendos fructus dignos poenitentiae (§. CCCVII.). Quod non minus ex vetusta discimus Ecclesiae traditione. Nam Tertullianus (*De poenit.* c. 8.) ait : *Confessio Satisfactionis consilium est . . . Satisfactio confessione disponitur . . . Poenitentia Deus mitigatur ;* ac Cyprianus (Epist. LV. *ad Cornelium*) eos redarguens Sacerdotes, qui ante peractum legitimae poenitentiae tempus impendebant absolutionem, inquit : *Intercedunt, ne exoretur precibus et satisfactionibus Christus, datur opera, ne satisfactionibus et lamentationibus justis delicta redimantur.* Quibus consonant Gregorius Nazianzenus (*Orat. in sancta lumina*), Lactantius (Lib. IV. c. 17.), Augustiuus (Serm. LI. n. 12.), ac Tridentini Patres (Sess. XIV. can. 13. et 14.).

Scholion. Praecipua satisfactionis opera sunt oratio, jejunium, et eleemosyna Tob. XII. 8. Ad orationem referuntur, quaecumque Deo *proxime* exhibemus, ut sacrificium, gratiarum actio, laudes, quibus ejus bonitatem celebramus ; tum meditatio, contemplatio, aliaque similia. Ad jejunium revocantur omnia, quibus caro macerari, ac castigari solet; ad eleemosynam vero omnia misericordiae opera. Quamobrem immutata jam, quantum ad publicam poenitentiam, Ecclesiae disciplina, pro admissis culpis Deo satisfacere, ac commeritas temporales poenas redimere quisque studeat.

§. CCCX.

Divinae justitiae ratio, ordoque postulat, ut qui adepta jam baptismi gratia templum Dei violare minime formidaverunt, ab ipso dispari longe modo, ac in regenerationis Sacramento fit, in gratiam recipiantur; atque ipsa Dei clementia, ac bonitas exigit, ut absque satisfactione peccata haud remittantur; ne Christi fideles peccata forte leviora putantes in graviora labantur, divinamque vindictam ad se accersant, attrahantque (§. CCCVII.). Quam ob causam non sine magnis fletibus, ac laboribus ad integritatem pristinam homines lapsi per Sacramen- Indulgentia quid sit.

tum poenitentiae pervenire valent (Sess. XIV. c. 2.). Nihilominus quum fervor ardens, ac intensa erga Deum caritas poenitentiae rigoribus supplere queat; atque hujus intuitu piissimus Salvator mulieri peccatrici (Lucae VII. 47.), adulterae feminae (Jo. VIII. 11.), Latroni (Lucae XXIII. 43.), benigne indulserit; atque Ecclesiae praesides ac Romanus praesertim Pontifex non tantum auctoritatis Christi haeredes sint, verum etiam suae caritatis; hinc ipsi uti Judices, Patres ac animarum pastores poenitentibus magno in fervore constitutis, aliquid temporalis poenae relaxare semper consueverunt; id autem est, quod *indulgentiam* appellare consuevimus, quae definitur: *Remissio temporalis poenae, quae post peccatorum remissionem luenda superest extra Sacramentum, facta ab eo, qui spiritalem jurisdictionem habet caelestem Ecclesiae thesaurum dispensandi.*

Scholion. Indulgere idem est ac *remittere*, unde indulgentia ab Alexandro III. remissio vocatur. Monere tamen solent gravissimi quique Theologi, indulgentias ab omni temporali poena, ac laboriosis poenitentiae operibus hominem haud eximere. Haec fuit semper Ecclesiae mens, uti ex Cypriano *de lapsis*, Conciliorumque statutis fit manifestum. Bonifacius etiam VIII. unumquemque plus mereri, et efficacicius indulgentias consequi asserit, qui ad Apostolorum Basilicas frequentius, et devotius accedunt. Quod non minus ex Synodo Salengostadiensi, Gregorio VII. *ad Episcopum Lincolniensem*, S. Antonino I. par. tit. 10. §. 3. satis apparet. Et revera Ecclesia non ideo indulgentias dispensat, ut impoenitentiam, desidiam in fidelibus foveat, sed ut in ipsis fervorem, caritatemque erga Deum, proximumque accendat; cumque satisfactio sit necessaria (§. CCCVII.), ab omni ejus onere sublevari fideles nequeunt. Vid. Nat. Alexandrum *Theolog. Dogmat. moral. de indulgent. reg.* 12. Drowenium, Juvenin, Tournelli *de Indulg.*

§. CCCXI.

Ejus elargiendae in Ecclesia potestas.

Clavium potestas, spiritalis imperii symbolum (§. XC.), ac ligandi et solvendi auctoritas a Christo Apostolis, eorumque successoribus collata, quemad-

modum remittendi peccata (§. CCXCI. CCXCV.) ac poenas satisfactorias imponendi (CCCVIII.) virtutem confert; ita vel poenas jam impositas, vel eas, quae secundum canones deberent imponi, iis, qui satisfacere Deo conantur, relaxandi efficaciam habere debet. Nam remittunt, solvuntque Ecclesiae Pastores, dum commeritas temporales poenas condonant; atque id, eoquod Salvatori placuit, ut ii impedimenta ad beatitudinem adipiscendam auferre possent cuncta, vel sacramenti virtute absolvendo a peccatis, vel extra Sacramentum indulgentiarum efficacia, quae infinita Christi merita nobis applicant, ut Sanctorum satisfactiones. Hanc ob causam Paulus (*2. ad Corinth. II. 7. seq.*) incestuoso Corinthio, ne tristitia absorberetur, poenae aliquid indulsit, ajens: *Quid donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Quae perpendens Chrysostomus (Hom. IV. in epist. II. ad Corinth.) affirmat, Corinthium illum non tam poenitentiae opera, quam gratia et beneficio veniam fuisse consequutum: idem tenent Theodoretus, Theophilactus, et OEcumenius, ac ex Latinis Patribus Ambrosius (Lib. *I. de poenit. cap. ultimo*), et Pacianus (*). His, adde, quod sicuti in civili imperio, Princeps, qui imponendi poenas auctoritatem habet, eas etiam remittere potest; ita qui sacro imperio a Christo Domino sunt insigniti (§. XCV. XCVII. CVII.), quemadmodum poenas satisfactorias imponere, ita et relaxare queunt.

Scholion. Uberrimus fons, unde originem ducant indulgentiae, ejusdem Ecclesiae thesaurus est, ex infinitis Christi meritis coalescens, quibus etiam uniuntur SS. Dei Genitricis, ac Sanctorum merita. Singulare est divinae bonitatis argumentum, quod Sanctorum merita Christi meritis consocientur. At sanguis Christi est solus, qui omne pretium, efficaciam omnem sanctorum meritis tribuit. Error autem heterodoxorum est, Catholicam hanc doctrinam redemptionis Christi pretium imminuere; nam auget potius, ac amplificat: quum coelestis Pater non solum ad

(*) Epist. III. Qui etiam verbis expressis eam vocat indulgentiam.

infinitam sanguinis Filii sui efficaciam respiciat; sed etiam ejus intuitu ad Sanctorum satisfactiones ac merita quae per Salvatorem obtinent ob unionem, quam cum ipso, veluti capite suo, habent, respicere dignetur. Hinc, ut observat Illustr. Bossuet, *medit. pour le tems du Jubilè* V. *point. consid.* IV., adimpletam videmus Christi Domini orationem *Joan.* XVII. 26. *ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* Jam vero ex Sanctorum communione, quam in Symbolo profitemur, fit, ut membrorum omnium mystici corporis sub Christo capite nexus sit per caritatem, ac communicatio; unde enascitur, ut omnium, qui sunt, vel fuerunt sanctorum hominum merita, diffundantur in caeteros, communicenturque. Qua de causa Apostolus II. *ad Corinth.* XII. 15. ajebat: *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.* et II. *ad Timoth.* II. 10. *Omnia sustineo propter electos*, et ad Coloss. I. 24. *Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Caeterum dogma fidei est, Sanctorum merita per *solutionis* modum ad Ecclesiae thesaurum concurrere, quum gravissimi etiam Theologi sint, qui *impetrationis* tantum rationem ea habere contendunt. Vid. Nat. Alexandrum *tract. de indulgentiis* C. I. et Juvenin *dissert. de indulg. quaest.* *V. C.* 2. *resp. ad 3. object.*

CCCXII.

Quod ulterius demonstratur.

At pondus assertioni nostrae addit maximum vetustissimus in Ecclesia indulgentiarum usus, qui ex Tertulliano ipso jam Montanista, eum licet reprobante (Lib. de pudic. Cap. XXII.) demonstratur; etenim quum Martyrum precibus remissam fuisse poenitentiae partem, ac pacem communionemque lapsis datam fuisse asserat; nec consuetudinis hujus initium certis argumentis demonstrare valeat, ab ipsis Ecclesiae incunabulis jam id in more positum fuisse, est affirmandum. At hujus in Ecclesia indulgentiae testis est disertissimus non uno in loco S. Cyprianus (Epist. X. seq.). Quod ipsum ostendit Synodus Ancyrana (Can. XXII.), poenitentiae mo-

dum in Episcopi relinquens arbitrio, qui eam studiose festinantibus immiunere etiam queat; tum concilium Nicaenum I. (Can. XII.) decernens, posse Episcopos, de iis poenitentibus, qui auditionis tempus impleverint, ac fidelibus in oratione communicant, *humanius* aliquid cogitare. Eadem mens est concilii IV. Carthaginensis (Can. XII.) ac PP. Trullanorum (Can. XII.) ac Triburiensium (Can. LVI.). Accedunt Basilius (*Epist. Canon. ad Amphilochium can.* LIV.), Gregorius Nyssenus (*Epist. ad Letojum*), Innocentius I. (Epist. I. cap. VII.), Leo magnus (Epist. LXXIX. cap. V.). Posterioribus autem saeculis indulgentiarum consuetudinem viguisse adeo perspicuum est, ut tempus terére viderer, si id probandi onus assumerem. Itaque, quum indulgentia sit remissio poenae, quae post baptismum lapsis aut imposita est, aut imponi deberet; atque in Ecclesia obtinuerit semper, ut pars saltem aliqua poenae sincere poenitentibus benigne remitteretur, apparet usum indulgentiarum perpetua Ecclesiae confessione munitum ab Acatholicis male reprehendi.

Scholion. Hanc potestatem indulgentiarum iverunt inficias Montanistae, ac Novatiani, tum Waldenses, Wicleffus, Joannes Huss; Lutherus praesertim, qui conflandi luctuosi schismatis inde ansam arripuit, Calvinus, ejusque asseclae.

§. CCCXIII.

Ex his sponte sua fluit indulgentias fidelibus utiles esse. Enimvero, quum sicuti Patres, ac Concilia fidem faciunt, indulgentiae satisfactionis ac poenarum, quae delictis nostris debitae sunt, loco semper habitae fuerint (§. praec.), has nobis haud exiguam afferre utilitatem, dubium non est. Et sane nullumne afferet commodum, quod ab Ecclesia Pauli exemplo nobis in persona Christi conceditur (§. CCCXI.)? Annon ingens erit beneficium soluta nos habere in coelis, quaecumque Christi ministri in terris sólverint (Matth. XVIII.)? Quis non exoptat remissam habere temporalem commeritam poenam, quae luenda manet gravis in altera vita? Quapropter aequissimum est libratumque PP. Tridentinorum judicium (Sess.

Quo fit, ut sint utiles.

XXV. in decreto de indulgeutiis), qui potestatem conferendl indulgentias a Christo Ecclesiae concessam, earumque usum Christiano populo maxime salutarem esse definiunt.

Scholion. Indulgentiae pro animabus etiam in Purgatorio degentibus concedi possunt. Nam quod *tota per orbem frequentat Ecclesia*, ut ait Augustinus *Epist.* LXIV., *quin ita faciendum sit*, *disputare insolentissimae insaniae est.* Jam vero a pluribus saeculis id facere consuevit Ecclesia; atque quum Petrus Oxoniensis id inficias ire ausus fuisset, ejusdem sententiam Sixtus IV. damnavit. At vita functis haud per modum *absolutionis*, sed tantum *suffragii* conceduntur.

§. CCCXIV.

Encyclopaediae objectiones.

Indulgentiarum aedificium, ait Anonymns heterodoxus scriptor (Encyclopedie d' Iverdon art. Indulgence tom. XXIV. 1773.), fundamento labenti, ac prope cadenti innititur. Nam I. veritas est fidei non minus, quam intimi sensus, opera sanctiora non promereri per se salutem, quam Deus ipsis promittit: nullamque adesse proportionem virtutes inter ac praemium, quod illis rependitur; nec non ex gratia, non ex justitia nos fieri justos; nihil itaque superflui habent sancti, quod aliis possit applieari. II. Christus Jesus, salvator noster est solus, nec in aliquo alio salutem habemus. Jam vero si Sanctorum merita Christi satisfactionibus consocies, eos cnm unigenito Dei filio mediatores, redemptores simnl constitues. III. Indulgentiarum thesaurus, ut aliis ceteris evenit, temporis diuturnitate exhauriri debet: Sancti, et veri credentes rariores semper fiunt. IV. Percipi etiam nequit, quanam ratione Papa arrogans sibi facultatem condonandi poenas in purgatorio, ligatas manus habeat ad eas solvendas, qnae a Tribunali civili, aut Ecclesiastico infliguntur poenae; tum, eccur ille poenas in altera vita solvere differt? V. Contradictio est manifesta poenitentiam inter, quae poenam infligit, ac indulgentiam, quae remittit: si presbyter poenam necessariam suo poenitenti judicat, quare Ecclesia veluti ex gravi jugo poenitentem exi-

mit; quum confessarius inflixerit eam, tamquam modum expiationis, satisfactionis et gratiae: et si poena haud est necessaria, quare sacerdos eam imponit? VI. Etsi Christus Apostolis dederit potestatem remittendi peccata, haud sequitur, potestatem hanc Papae fuisse collatam; quandoquidem usque dum praetensi successores S. Petri non ostendent se successisse doctrinae, potestati, donisque Apostolorum, neque demonstrare poterunt, auctoritatem remittendi peccata eorumque poenas ad eos pertinere.

§. CCCXV.

Audivimus quasi de indulgentiis prostratis adversarium gloriantem: perperam tamen ac injuria. Quandoquidem ipsae, quum ab Ecclesia, quae supra firmam petram aedificata est (Matth. XVI. 18.), authoritate a Christo Domino accepta concedantur (§. CCCXI.) non in ruinam vergenti, sed solido fundamento innituntur. Jamvero, quamvis opera bona in seipsis considerata haud mereantur aeternam gloriam, nihilominus tum intuitu Divinae promissionis, tum quia ab illis facta sunt, qui gratia sanctificante exornantur, praemium sempiternum merito iisdem rependi, ex Paulo ad Timotheum scribente (II. ad Timoth. IV. 8.) discimus: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi in illa die justus judex.* Haec tamen sanctorum opera duplici sub aspectu consideramus; vel uti meritum habent, vel ut poenalia sunt, ac satisfactoria; primo sensu mercedem in coelis obtinent Sancti plenissimam, uberrimamque; at modo altero, quoniam beata Virgo peccatum nullum nec leve habuerit, ac sancti poenitentiae plus egerint, quam ad diluendam poenam temporalem opus iis esset, hinc Divina clementia, ac per merita sanguinis Christi factum est, ut ea ob Sanctorum communionem prodesse aliis possent. Attamen ad fidei nostrae dogma non attinet, eorum satisfactiones per solutionis modum cum meritis Christi consociari (§. CCCXI. Schol.). Porro quod ex divina gratia justi reddamur, libenter concedimus. Sed quid haec ad indulgentias, quae non culpam, sed temporalem tantum poenam aliquam redimunt? Jam ad aliam difficultatem venio. Unicum fatetur catholica Ecclesia Redemptorem, uni- Solvuntur.

cum mediatorem substantivum, qui solus potest nos salvare (§. LXVI.), nec arbitratur Christi passionem ad expungendam poenam omnem satis non esse. Quam autem tribuit Sanctorum satisfactionibus virtutem, eam repetit cunctam ex meritis Christi, tantum abest, ut eos cum Salvatore redemptores nostros constituat. Quamobrem ita Sanctorum merita in thesauro Ecclesiae Christi meritis consociantur, quemadmodum causae secundae, quas in mundi gubernio unit sibi Deus, quaeque suam splendere faciunt omnipotentiam, unde omnem vim suam desumunt, et efficaciam. Insulsum autem est ac inane alterum argumentum. Merita enim Christi, utpote infinita, quibus Ecclesiae Thesaurus veluti fundamento innititur, exhauriri nequeunt; atque Sanctorum major, quam iste autumat, numerus datur in Ecclesia Catholica. Invisam in altero adversarius reddere tentat imperitis Romani Pontificis auctoritatem; at inanem ludit operam. Ecquis enim ignorat, indulgentias a supremo Ecclesiae pastore collatas, eos vel maxime, qui adhuc vivunt, ut commeritae eorum temporales poenae solvantur, respicere? Non solvit autem ille, quae a tribunalibus civilibus irrogantur poenae, eo quod ejus potestas est spiritualis. Quae autem a tribunali Ecclesiastico sancitae sunt, quoniam externi sunt fori, has ad malorum terrorem solvere opportunum non judicat. Porro tantum abest, ut asseramus, indulgentias a satisfactionis onere poenitentes penitus eximere (§. CCCX. Schol.), quin etiam cum Cypriano (Lib. *de Lapsis*) velimus, corripiendos graviter esse Sacerdotes eos, qui earum intuitu poenas injungunt levissimas. Et revera Tridentini Patres in concedendis indulgentiis, juxta veterem, ac probatam in Ecclesia consuetudinem, habendam esse moderationem cupiunt (*Decr. de Indulg.*). Quis porro ignoret iis concessas fuisse qui majori ex parte poenitentiam absolvissent, ardentemque simul caritatem ostendissent? Quamobrem, quum poenitentia cum peccato habere debeat proportionem; quae aderat major, dum poenitentiales canones vigebant, quam secundum nostrorum temporum disciplinam; fit, ut peccatores magis, quam vetustorum temporum poenitentes Divinae justitiae debeant. Indulgentia itaque ex his residuis poenis, quas luere

deberent, partem remittit, quum Ecclesiae mens non sit, fideles a poenitentiae operibus eximere (*). Ex quibus fit manifestum, nec levem apparere in concedendis indulgentiis contradictionem, nec eos laxis moribus viam sternere, nec pro solis divitibus esse, quum alias inter conditiones ea sit, ut gratis conferantur. Quod si quaesitorum temeritate, abusus interdum irrepsere, hos sancta Dei Ecclesia prorsus execratur. Quod postremo loco opponebatur, nullius ponderis est: nam in Petri auctoritate Romanum Pontificem successisse (§. CVII.) fuit demonstratum.

§. CCCXVI.

At vero de variis indulgentiarum speciebus perpauca delibanda veniunt. Indulgentia alia dicitur plenaria, quae remissionem secum fert totius canonicae poenitentiae, quae imponi nobis potuisset, ac luenda adhuc remanet; necnon temporalis poenae, quae in Dei conspectu huic canonicae poenitentiae respondet; alia vero *dierum* est, vel *annorum*: atque remissio dicitur, quantum ad dies aliquos, vel ad unum, vel nonnullos annos poenitentiae canonicae, quae nobis debuisset imponi, ac respondentis ei temporalis poenae. *Jubilaeum* vero appellamus plenariam indulgentiam, quae praeter poenae canonicae relaxationem gratias alias nobis procurat; potestatem nempe confert, quemcunque ab Ordinario approbatum Confessarium deligendi, qui a censuris omnibus, reservatisque casibus absolvere potest; tum etiam nonnulla immutandi vota, quum in Pontificis *Bulla* hoc privilegium conceditur. Variae indulgentiarum species.

Scholion. Jubilaeum recte dixeris libertatem, ac

(*) Itaque a convenienti satisfaciendi debito, nemo per indulgentias liberatur. *Convenientem* autem dicimus satisfactionem; quae poenitentes a patrandis in posterum culpis avocat, ac ad tollendos consuetudine peccandi inductos pravos habitus idonea est; tum quae conformem poenitentem Christo pro nobis passo reddit, verum animi dolorem, amorem Dei et proximi secum fert: atque de eadem dici queat, quod sit in praeteritorum delictorum vindictam, ac castigationem. Confer Juvenin *dissert. de indulg. c. IV.* Pouget *catech.* p. 3. c. V. §. 18.

remissionem. Desumptum ab Hebraeis nomen est, qui ex Divino praecepto, redeunte quinquagesimo anno, servis libertatem concedere; possessiones iis, qui egestate compulsi vendiderant, restituere; ac singula illis, qui contraxerant, remittere debita tenebantur. Vid. *Levit.* XXV. Figura autem erat melioris, spiritualis nempe liberationis per Christum futurae *Isai.* LXI. 1. et 2. Jubilaeum Bonifacius VIII. anno quolibet centesimo celebrandum decrevit. Clemens VI. ad annum quinquagesimum, Urbanus VI. ad annum trigesimum tertium, ac tandem ad singulos viginti quinque annos Paulus II. et Sixtus V. contraxerunt. Jubilaei quoque nomine donatur plenaria indulgentia, quam vel in sui inauguratione, vel in maximis Ecclesiae calamitatibus Romani Pontifices concedunt. Vid. Bossuet *meditations pour le tems du Jubilè.* Itaque revolvamus animo poenitentiam laboriosum esse baptisma, atque nonnisi ingentibus conatibus, laboribus, fletibus ad innocentiam baptismalem post lapsum nos posse pervenire. Lubenti animo suscipiamus quaslibet vel corporis afflictiones; ac omnia quae nobis ardua sunt, ac molesta, in peccatorum nostrorum compensationem Deo offeramus. Ne quaeso, oblivioni mandemus, quod Apostolorum Princeps scribit *Epist.* II. Cap. II. 21. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post cognitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Porro etsi Ecclesia mater piissima temporalis poenae per indulgentias remissionem tribuat nobis; caveat quisque, ne credat, has a poenitentiae onere nos reddere prorsus immunes. Sed conetur, quantum potest, quemadmodum illa exigit, fervorem ac caritatem erga Deum, ac proximum excitare, ac bonis operibus constanter inhaerere.

§. CCCXVII.

Verba absolutionis.

Quum sacramentum quodlibet praeter sensibile signum verbis adhuc perfici debeat (§. CCXXVI.); ea indubie ex divina institutione sacramenti hujus conficiendi virtutem habent, quibus sacerdotes poenitentem contritum, delicta sua confessum, ac satisfacere paratum ab iis absolvit. Haec autem sunt, quae Ecclesiae usus consecravit: *Ego te absolvo a*

peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; quae jam mandata novimus Eugenii IV. decreto, ac Concilii Tridentini sunt auctoritate firmata (Sess. XIV. c. 3.): *Docet sancta synodus sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue vis ejus sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc.* Jam vero, etsi verba illa omnia ex praecepto debeant a sacerdote pronuntiari; valor tamen sacramenti subsisteret, si tantum diceret, *te absolvo.*

Scholion. Video dissentire Theologos, an forma, quae *indicativa* dicitur, in Ecclesia semper viguerit. Cl. Berti *lib. 34. par. altera cap.* VII. affirmat, haud perspicue evinci formam absolutionis sive apud Latinos, sive apud Graecos fuisse *deprecativam*, ac argumenta, quibus adversa sententia munitur, dissolvere studet. At usque ad decimum, vel etiam duodecimum saeculum sive apud Graecos, sive apud Latinos deprecativis verbis ministros sacros usos fuisse, gravissimorum Theologorum doctrina est. Vid. Morinum *de poenit.* lib. VIII. cap. 8. Martene *de antiq. Eccl. ritibus* p. II. cap. VI. art. V. §. XI. Witassium, Drowenium, Juvenin, Habert, Chardon, aliosque. Observare tamen juvat, quod etsi deprecatoriis verbis concepta fuisset sacerdotalis absolutio, judiciaria potestas semper perstitisset, ob criminum cognitionem, ob impositam salutarem poenam, immo ob ipsam deprecativam formulam. Certum enim est, veteres Romanos verbis modestissimis dixisse sententiam, etenim cum ab homicidio aliquem absolvebant, judices dicere consueverant, *videri*, *cum qui occisus est*, *juste occisum.* Unde etsi Sacerdotes potestate solvendi, ac ligandi, remittendique peccata se a Christo exornatos noscerent, nihilominus compertum habentes, Deum ipsum primam esse remissionis peccatorum causam, quam ut judices dabant remissionem, eamdem verbis deprecativis concipiebant. Graecos nostris etiam temporibus formulam deprecativam habere, doctissimorum Theologorum sententia est. Renaudotius autem *tom.* V. *lib.* IV. *cap.* 1. maximam formularum partem, quae sive in Graecis, sive in orientalibus poenitentialibus libris occurrit, verbis deprecativis effor-

matam esse scribit. Quamobrem inducor, ut credam, nostris etiam temporibus deprecativam Graecorum formulam validam esse. Gravior est de Latinis controversia: Theologorum pars maxima tenet, irritam esse formulam deprecativis verbis enunciatam; ajunt enim Christum Ecclesiae arbitrio reliquisse, quibus verbis judicium exercendum sit, determinare: Patres autem Tridentinos statuisse formam indicativam esse debere. Nihilominus Drovvenius alterius mentis est, quippe qui asserit, gravissime quidem peccaturum sacerdotem Latinum deprecativa forma utentem, at videri adhuc validum sacramentum, nisi irrisorie hoc se facere demonstraret. Lib. 6. quaest. 8. c. 2. q. 13.

§. CCCXVIII.

Quis minister. Porro non fideles quilibet, sed ii tantum, qui ministri constituti sunt, ac dispensatores mysteriorum Dei, habentque sicut *Aaron* Dei vocationem (ad Hebr. V. 4.), administrare hoc Sacramentum valent. Potestatem enim remittendi peccata non singulis e fideli plebe, sed Apostolis contulit Salvator (§. CCXCI.); unde ad Episcopos ac novae legis sacerdotes reliquos promanavit. (*PP. Tridentini* sess. XIV. c. 6.). Quam veritatem Patres ex Apostolicorum temporum consuetudine, ac traditione didicerunt; unde etiam solos primi, et secundi ordinis sacerdotes hac potestate insignitos docuerunt (§. CCXCV. CCCII. CCCVIII.). Nec in pluribus colligendis, quae adhuc adduci possent, Patrum testimoniis, opus est, ut immorer, quum perpetuus Latinae, Graecae, et orientalis Ecclesiae usus, quemadmodum ex ritualibus libris apertum est, auctoritatem hanc ad sacerdotes solos ex divina institutione pertinere satis ostendat.

Scholion. Ignotum est nemini, Waldenses, Albigenses, Wicleffum, Joannem Huss, improbis Sacerdotibus sustulisse peccata remittendi potestatem, quam laicis probis perperam attribuebant. Lutherus absolvendi munus concedit iis omnibus, qui pastoris munus assumunt, etsi legitime non sint ordinati. Non est tamen cum Novatorum erroribus permiscenda sen-

tentia Morini, qui lib. VIII. *de poenit.* c. 23. arbitratur, Diaconos Presbyteris, ac Episcopis absentibus potuisse Sacramentalem confessionem recipere, ac absolutionem impendere: innitebatur autem praecipue auctoritati S. Cypriani, qui Epist. XII. ad Presbyteros, et Diaconos Ecclesiae Carthaginensis scribit, quod fideles lapsi *in infirmitatis periculo apud Presbyterum . . . vel si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus caeperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint: ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace.* Verum exomologesis nomine non sola Sacramentalis confessio, sed etiam tota poenitentiae actio designatur (§. CCC.); et substratio maxime, qua poenitentes impositioni manuum Episcopi, et Cleri subjiciebantur, qua de re vid. Baluzium *in Epist. Cyprian. XIII.* Petavium *in* dial. *de poenit. et reconc. vet. Eccl.* c. 2. Quamobrem exomologesis, de qua loquitur Cyprianus, actio illa esse videtur, qua poenitens se reum esse profitebatur; manuum autem imposito Diaconi, canonica tantum erat, et ceremonialis cum Ecclesia reconciliatio; non vero Sacramentalis absolutio. Qua de re praeter jam laudatos Baluzium, ac Petavium, videri etiam possunt Pamelius *adnot. in Tertullianum;* Albaspinaeus lib. *II. observ. eccl. observ.* 17. atque Theologi dogmatici.

§. CCCXIX.

Sacramenti effectus.

Plures, eosque egregios salutares fructus poenitentiae sacramentum producit. Enimvero I. remittit, quae post baptismum peccata admisimus, in pristinam Dei gratiam, ac amicitiam revocat, adoptivos Dei filios constituit, ac aeternae felicitatis haeredes; hinc II. quemadmodum docent Tridentini Patres (Sess. XIV. cap. 3.): *In viris piis, et cum devotione hoc sacramentum percipientibus conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.* III. Gratiae etiam divinae auxilia uberrima, quibus in accepta justitia, ac sanctitate poenitentes permanent, confert: *Sanat enim non solum Deus, ut deleat, quod peccavimus, sed praestat etiam, ne peccemus* (§. CLVIII. Schol.). Dat

etiam IV. ut homo poenitens ad ampliorem, firmioremque virtutem consurgat (*Ambrosius in Apol. David.* cap. II.). Tum V. ab aeterna non tantum poena eripit; verum etiam pro majori vel minori poenitentis dispositione, ac fervore commeritas temporales poenas imminuit, tollitque penitus, si intensissimam adjunctam habeat caritatem. Efficit VI. ut bona justorum opera, ac virtutum merita, quae per grave peccatum deperdita erant, restituantur, ac reviviscant. Apostolus enim ad *Galatas* scribit (III. 4.), *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa;* quibus eos in Judaismum prolapsos edocere voluit, quas pro Christo passi erant calamitates, ac afflictiones minime prodesse, nisi poenitentiam agant, et convertantur. Unde colligitur, existimasse Apostolum, quod si conversi fuissent, Deum pristini eorum meriti habiturum fore rationem. In eamdem conspirant doctrinam Hieronymus (*In cap. 3. ad Galat.*), Ambrosius (*Lib. I. in Lucam n. 33.*), Chrysostomus (*In cap. 3. ad Galat.*), ac Tridentini Patres (Sess. VI. cap. 16.).

Scholion. Quisquis in grave lapsus est peccatum recogitet serio, quae lib. *de poen.* c. II. scribebat Tertullianus: *Deliqui in Deum, et periclitor aeternum perire: itaque nunc pendeo, et maceror, et excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo laesi.*

CAPUT V.

De Sacramento ordinis.

§. CCCXX.

Ordinis notio. Per Ordinem, qualem quidem hic considerandum, propugnandumque suscipimus, actionem intelligimus, qua ad munia Ecclesiastica obeunda nonnemo certo quodam ritu evehitur. Hoc pacto ordo, *est novae legis Sacramentum a Christo Domino institutum, quo potestas traditur consecrandi, offerendi, ac ministrandi corpus et sanguinem Domini; tum dimittendi ac retinendi peccata, nec non Sacerdoti ex officio deserviendi.*

Scholion. Actio haec a Graecis χειροτονία vocatur, quae extensionem manuum, ac porrectionem significat, atque, quamvis nonnumquam electionem sacrorum ministrorum, quae porrigendo, ac extendendo manus vel a populo, vel a Clero fieri solebat, designet; pro ipsa tamen sacri ministri consecratione saepissime in usum assumptam fuisse, dubium non est. Nuncupata etiam fuit χειροθεσία, sive manuum impositio; nihilominus vox haec pro ordinibus, qui infra Diaconatum sunt, apud Graecos generatim accipi solet, ut in Euchologio observavit Goarius: χειροτονία vero pro majoribus ordinibus. Vid. Morinum *de sacr. ordin.* p. 3. *exerc.* 1. et 2. Witasse de *ordin. quaest.* 1.

§. CCCXXI.

Jam a sacris vatibus praenuntiatum fuerat, abroganda fore legis veteris sacrificia, quibus nobilius aliud ac longe praecellentius substituendum erat, illudque omni in loco offerendum. Id adimplebat Salvator, sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quum in epulo postremo novum, ac incruentum sui corporis, ac sanguinis instituebat sacrificium (§. CXXXIX. seq.) At enim, cum Salvator, quod ipse gessit, Apostolis eorumque successoribus, ut in sui memoriam ipsi etiam facerent, jusserit; eos tunc temporis a Christo Domino novi foederis constitutos fuisse sacerdotes, atque Ordinis Sacramentum instituisse in dubium revocari non potest. Quam dignitatem confirmavit, quum post resurrectionem suam, eisdem contulit Spiritum sanctum, plenissimamque dedit peccata retinendi, vel remittendi potestatem. (§. CCXCI.). Quod sapienter jam observatum fuit a Tridentinis Patribus, quorum etiam auctoritate discimus, sacrificium ac sacerdotium Dei ordinatione ita esse connexa, ut utrumque in omni lege extiterit (Sess. XXIII. c. 1.).

Est institutus a Christo.

Scholion. Dubitare sapiens nemo poterit, omni in lege Sacerdotes fuisse constitutos, ut sacrificia Deo offerrent. Tempore legis naturae Patresfamilias, vel nonnulli peculiari modo delecti hoc munere fungebantur. In lege Moysis jubente supremo Numine sa-

milia Aaron singulari quadam consecratione ad sacerdotalem dignitatem vecta fuit. Quid? Quod aemulante maligno spiritu, ac divinos honores ambiente, omnes fere nationes, veluti antiqui Galli, Britanni, Romani, Persae, Ægyptii, Iudi, Tartari, Sinenses, Japonenses, Thibetani, habuere sacerdotes, qui falsis Numinibus sacrificia offerrent? Quo etiam evincitur, omnium populorum mentem fuisse, Religionem absque sacerdotio non posse consistere.

§. CCCXXII.

Ac novae legis Sacramentum.

Nec ipsi heterodoxi inficias eunt, illud verum esse novae legis Sacramentum, quod sensibile habet signum ex divina institutione cum gratiae promissione conjunctum. Porro haec, sacris litteris facem ferentibus, in Ordine inesse cuncta, ostendere arduum non est. Septem enim Diaconi (Act. VI.), Apostolis orantibus, ac manum imponentibus ad ministerium sacrum (§. CXXIII.) assumti fuere. Paulus, ac Barnabas (Ibid. XIV. 22.) in singulis, ad quas perrexerant, Ecclesiis, *cum constituissent, χειροτονήσαντες, Presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.* Timotheus a Paulo cum manuum impositione ordinatus fuit Episcopus (I. Epist. V. 14.): habemus itaque in manuum impositione sensibile signum, ac in oratione verbum Sacramentale. Quod signum annexam habere gratiae promissionem, cujus Deus solus auctor esse potest, inde patet luculentissime, quod Paulus Timotheo scribat (II. Epist. I. 6.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*; haec porro de sanctificante gratia intelligenda esse, ex iis, quae Paulus subdit (v. 7. Vid. *PP. Tridentinos sess. 23. c. 5.*), dubitare nequimus: *Non enim dedit vobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis, et sobrietatis.* Quapropter conjunctas habens Ordo praerequisitas ad Sacramentum conditiones omnes, iis merito est adnumerandus.

Scholion. Ex quibus colligere est, Episcopatum, Presbyteratum, ac Diaconatum, qui ex divina institutione signum obtinent efficax gratiae, veri Sacramenti habere rationem.

§. CCCXXIII.

Ordinem esse verum legis evangelicae Sacramentum, vetustas ecclesiastica omnis defendit, propugnatque. Tertullianus (De Praescript. c. XL.) inter ea Sacramenta, quae Daemon in mysteriis suis aemulare conatur, Baptismum praesertim, Confirmationem, ac Sacerdotium adnumerat. Gregorius Nyssenus (*Orat. in bapt. Christi*) asserit, quod verbi Christi vis sacerdotem augustum, ac honorandum facit, *qui invisibili quadam vi et gratia invisibilem animum in melius transformatum gerit.* Chrysostomus (Lib. III. de Sacerd. p. 382.) inquit: *Ipse Paracletus hoc officium* (Sacerdotis) *ordinavit;* ac paulo post subdit: *magna Spiritus gratia* Sacerdotem esse exornatum. Ejusdem sunt mentis Hieronymus (*Dial. adv. Lucif.*), Ambrosius (*Epist. 63. ad Eccl. Vercell.*), Episcopi Africani (Apud Augustinum in serm. de gestis cum Emerito n. 5.), Augustinus (*Lib.* II. *contra Parmen.* cap. 13.), Innocentius I. (*Epist.* 18. *ad Alexandrum Antiochiae Episcopum*), Leo magnus (*Epist.* I. *ad Episc. Maurit.*), Concilium oecumenicum Chalcedonense (Can. II.), Bracarense II. (Can. III.), Toletanum VIII. (Cap. III.). Graeci non minus ac Orientales admiserunt semper Ordinis Sacramentum, atque primi, quum iis Calvinistarum, ac Lutheranorum error innotuit, solide confutarunt (Apud Renaud. tom. V. lib. V. cap. IV. et V.). Immo Christiani omnes fidem faciunt, se ab Episcopis semper fuisse gubernatos, qui soli alios Episcopos consecrandi potestatem habuerunt ac ordinandi presbyteros, qui inde potestatem hauserunt omnem, Eucharisticum sacrificium offerendi, peccata remittendi, ac obeundi caetera ecclesiastica munera. Unde consequitur, Ordinis Sacramentum, veluti Christianae religionis basim, ac fundamentum semper habitum fuisse.

Id etiam evincit traditio.

Scholion. Lutherus lib. *de captiv. Babyl.* Ordinem Sacramentum esse negat. Protestantes tamen in Confes. exhibita Carolo V. in Augustanis Comitiis ordinem Ecclesiasticum se admittere professi sunt. Exploratum tamen est, quod etsi Pastores suos ma-

nuum impositione nonnullisque precibus inaugurent, ut ait Buddaeus *lib.* V. c. IV. §. X. *Schol.* veri Sacramenti rationem eidem adimunt. Calvinus *lib.* IV. *Instit.* cap. 19. n. 28. Sacramentum esse fatetur, at ejusdem asseclae fictitium vocant Sacramentum: asserunt tamen a Christo institutos esse ordines non tantum Apostolorum, Prophetarum, et Evangelistarum, sed etiam Pastorum, Doctorum, Presbyterorum, et Diaconorum, quos in sua politia ecclesiastica etiam ab ipsis retineri asserit Turretinus *loc.* 19. *quaest.* 31. §. 34.

§. CCCXXIV.

Quaedam adversariorum difficultates.

Ordinem veris Sacramentis haud esse accensendum, ajunt heterodoxi, multa sunt, quae demonstrant. Nam I. nullum hic occurrit signum, ac elementum corporale; impositio enim manus actio est, non elementum; immo haec ipsa est communis Confirmationi, pluribusque ritibus aliis, ac jam locum habuit sub veteri testamento, neque est ullo mandato a Christo instituta, sed ceremonia prorsus libera, ut pedum lotio (Turretinus quaest. 31.). II. Sacramenti essentia in eo consistit, quod illud Christianis omnibus commune esse debeat, atque signum sit distinctivum fidelem inter, et infidelem; quapropter cum Ordo solis competat Clericis, verum esse nequit Sacramentum. Tum quis sapiens dicat umquam, gratiam cuilibet ordini adnexam esse, atque Acolythos recipere gratiam cereos bene ferendi, Ostiarios bene claudendi Ecclesiae fores (Encylopedie artic. Ordre edit. 31. 1774.)? III. Quam Timotheo Paulus ait collatam fuisse gratiam, ea vocatur χαρισμα, quo nomine idem Apostolus (I. ad Corinth. XII.) gratias gratis datas designat, eo vel magis, quod datam eidem fuisse inquit per *prophetiam*, quae certe ad gratiam sanctificantem non pertinet.

§. CCCXXV.

Solvuntur.

Verum quam parum haec nos urgeant, facile est ostendere. Etenim ad naturam Sacramenti sensibile, ac corporeum elementum uti aqua et panis, minime pertinet; sed quod res sit subjecta sensibus, ac idonea, ut in rei alterius cognitionem nos ducat (§.

CCXXVI.), cujus generis esse impositionem manuum prudens ambiget nemo. Nec adversariis prodest, manuum impositionem aliis etiam in ritibus adhiberi consuetam: nam per sacramentale verbum ad objectum suum peculiare, ac effectum spiritalem ipsi proprium determinatur. Rem aliter si percipiant, fiet, nec aquam, nec panem, ac vinum, quorum usus est multiplex, idonea esse pro baptismo et Eucharistia sensibilia signa. Fuerit autem manuum impositio, quod non ibo inficias, sub veteri testamento: at quid inde? Annon fermentato etiam vel azymo pane ex legis mandato utebantur Judaei? Annon suas etiam habebant purificationes legales? Quamobrem sicuti haec ipsa licet a Judaeis adhibita, tamen Christus baptismi, et Eucharistiae sensibilia signa esse voluit; ita et manuum impositionem rem Ordinis. Jam vero voluisse Salvatorem manuum impositionem ceremoniam haud esse liberam, inde patet, quod perpetuum voluerit esse in Ecclesia Sacrificium, quod sine sacerdotio consistere nequit (§. CXXXIX.), quod Apostolos constituit novi foederis sacerdotes, eisque dederit potestatem remittendi peccata (§. CCCXXI.); atque quam dedit Apostolis auctoritatem, ea ad successores debuerit transire (§. CVII. CXI.); quod ipse Christus sit, *qui dedit Apostolos.... Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi* (Ad Eph. IX. 11. 12.); qui cum Ecclesiae sint prorsus necessarii, iique perpetuo Ecclesiae usu manuum impositione Episcopali semper fuerint consecrati, quemadmodum ex Euchologicis Graecae, et Latinae Ecclesiae libris clare apparet, fit ut manuum impositio mandatum habeat divinum. Jam venio ad alia: Sacramenta omnia ex sua natura omnibus fidelibus esse communia, undenam probare poterint, qui nobis adversantur, prorsus ignoro. Forsan Salvator id nos edocere dignatus est? Cedant nobis Scripturae locum, unde id demonstretur; at in omnibus sacris libris reperient nullum. An in civili statu institui minime poterit signum, quo de Republica optime meriti a reliquo populo secernantur? omnesne eadem sunt praediti auctoritate? At quid verbis est opus, cum res ipsa loquatur? Ad Sacramentum requiritur signum efficax

gratiae ex divina institutione, quae, quum in Ordine sint cuncta (§. CCCXXII.), hinc illum cum caeteris christianis nationibus Sacramentis novae legis merito accensemus. Nec ego, nec alter ejus est mentis, Deum elargiri Acolythis ac Ostiariis gratiam, ut vel cereos gerant rectos, vel Ecclesiae fores recte claudant: immo nec opinor minores ordines esse Sacramenta (§. CXXII. Schol.) (*). Verum haec missa facio: illud assero, falsum penitus esse, solas gratias gratis datas Timotheo fuisse collatas; nam et vox *charisma* pro gratia sanctificante a Paulo ad Romanos scribente (V. 15.) accepta fuit, quin etiam in ipsa ad Corinthios, quae nobis objicitur, Epistola: quandoquidem enumeratis variis gratiae gratis datae muneribus addit: *aemulamini autem charismata meliora;* quibus verbis magis ad justitiam consectandam, quam ad dona prophetiae et miraculorum eos excitare voluit. Hinc Chrysostomus (*Hom. I. in 2. ad Timoth.*) gratiam Timotheo collatam vocat τὴν χάριν τοῦ πνεύματος gratiam spiritus: addit hanc, quam ad Ecclesiae institutionem, ac ad omne Religionis obsequium accepit, esse *gratiam adoptionis, et caritatis, qua clamamus Abba Pater*. Porro quum gratiam Timotheo per prophetiam datam esse ait Doctor gentium, solam designat revelationem, quam ipse habuit, Timotheum ordinandi *in* Episcopum, uti ex hisce verbis innotescit (I. Epist. ad Timoth. I. 18.): *Hoc praeceptum commendo tibi fili Timothee secundum praecedentes in te prophetias.*

§. CCCXXVI.

Ordinum numerus.

Quia vero Sacerdotium excellentissimum est, ac maximae dignitatis ministerium, quo majori cum veneratione exerceri posset, rectissime ordinatum, constitutumque fuit, *ut plures, et diversi essent ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura*

(*) Ii etiam Theologi, qui minores ordines Sacramentum esse contendunt, gratiam, quam accipiunt, ad animae ornatum, majoremque recipientis spiritalem profectum conferri dicunt; tum ut digne, ac cum fidelium aedificatione in Ecclesia versentur, non vero ut cereos recte ferant, aut fores bene claudant.

insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt. . . . Et ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris, et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, ut ajunt Tridentini Patres (Sess. 23. cap. II.). Quod judicium quam libratum sit, colligitur ex Cornelio Romano Pontifice, qui in Epistola ad Fabium Antiochenum (*Apud Eusebium* lib. VI. *hist. Eccl.* cap. 43.), eosdem ordines singulos in Ecclesia Romana viguisse ostendit; tum ex concilio Carthaginensi IV. (Can. III. et seq.), ac Gregorii Magni Sacramentario. Quantum ad Graecos, et Orientales attinet, ex minoribus ordinibus solum habent Lectoratum (§.CXXII. Schol.). Haud diffitebor, apud vetustos eorum scriptores, nec non in antiquis Canonibus occurrere interdum Janitorum, Exorcistarum, ac Acolythorum nomina. Attamen a pluribus jam saeculis minores hosce ordines ad Lectoris, vel etiam Cantoris munus reducunt, quae etiam officia nonnumquam haud reperiuntur distincta. Lectoris ordinatio, sicut etiam et Hypodiaconi in Sanctuario apud ipsos non instituitur, ubi tamen Diacoui, Presbyteri, et Episcopi ordinantur.

Scholion. Definitioni PP. Tridentinorum, ne vel minimum refragantur, qui Episcopatum Sacramentum esse arbitrantur. Quandoquidem ii septem quidem Ordines adversus Calvinum, ac Protestantes, qui eorum imminuebant numerum, recensent; an vero plures sint, atque Episcopatus habeat tantum characteris Sacerdotalis extensionem, vel sit ordo nobilior, ac presbyteratu excellentior, Theologis ac Juris Canonici peritis discutiendum relinquunt. Immo si rem bene accipio, iis qui Episcopatum Sacramentum esse existimant, favere videntur; quum enim de Ordinibus septem cap. 1. et 2. disseruissent, ut ostendant cap. 3. Ordinem Sacramentum esse, ac gratiam conferre, iis utuntur verbis, quibus Paulus Timotheum Episcopum ordinans manuum impositione se eidem gratiam fuisse elargitum affirmat. Quamobrem, qui cum

pluribus aliis existimo, Episcopatum esse Sacramentum, etiam censeo, Episcopatum ac Presbyteratum specie quidem differre, sed uno Sacerdotii genere contineri, proindeque vel septem, vel octo ordines posse nuncupari. Confer Witassium *de numero Ordinum*, Chardon *hist. Sacr. de Ordine* cap. I. Recensiti Ordines in *sacros*, *et non sacros*, *majores*, *et minores* dispescuntur. Porro, etsi Ordines omnes sacri sint, atque ita antiquitus tum apud Graecos, cum apud Latinos nuncupati, peculiari tamen modo *sacri* ac *majores ordines* vocantur Episcopatus, Presbyteratus, ac Diaconatus. Attamen jam ab aliquot saeculis sacris ac majoribus Ordinibus *Subdiaconatus* adnumeratur, atque ut arbitratur Thomassinus *de vet. et nov. Eccl. discipl. p. I. lib. 2. c.* 33, contigit id primum Innocentii III. aetate, quum ipse voluit, Subdiaconum in Episcopum eligi posse; alii vero non pauci Urbano II. adscribunt.

§. CCCXXVII.

Omnes ordines non sunt Sacramenta.

Eos inter recensitos ordines Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum, eo quod ea habent, quæ ad Sacramenti naturam constituendam requiruntur, veri etiam Sacramenti rationem obtinere persuasum habeo (§. CCCXXII. Sch.). Nihilo tamen minus solus est Presbyteratus, quem Catholici consensu prorsus unanimi dicunt esse Sacramentum. Nam adsunt praeclari etiam Theologi arbitrati Episcopatum ordinem non esse distinctum a sacerdotio; sed tantum ejusdem extensionem, perfectionem, et complementum (§. praec. Schol.). Durandus autem, Cajetanus, Maldonatus Diaconatum Sacramentis non accensent; id saltem fide catholica certum non esse judicant Estius, Dominicus Soto, Bellarminus, aliique plures. Sane Tridentini Patres (Sess. 23. Can. I.) ordinem Sacramentum esse definientes, solius Presbyteratus mentionem expressam faciunt: *Si quis dixerit non esse in novo testamento Sacerdotium visibile, et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum corpus, et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, anathema sit.* Quod si de Subdiaconatu, ac quatuor minoribus Ordinibus instituamus sermonem, gravior est in scholis contro-

versia. Nam S. Thomas, S. Bonaventura, Franciscus Victoria, Petrus Soto, Melchior Canus, Hallier, Berti sacramenti dignitate condecorant. At hos, quum ecclesiastico jure sint instituti (§. CXXI. Schol.), atque veri nominis sacramenta Deum habeant institutorem, qui solus potest signa sensibilia ad gratiam producendam elevare, Sacramentis adnumerare nequimus.

Scholion. Subdiaconatum, ac Minores ordines institutionem ecclesiasticam habere diserte tradiderunt Amalarius *lib. 2. de Div. off. c. 6.* Yvo Charnutensis 2. *p. decreti* c. 72. Hugo Victorinus *lib. 2. de Sacr.* Magister sententiarum *lib. 4. dist. 24.* Ipsum S. Thomam *in cap. 3. epist. ad Timot.* Magistri sententiam fuisse sequutum tradit Benedictus XIV. de *Syn. lib. VIII. c. 9. §. 11.* unde concludit dubiam saltem hac in parte fuisse S. Doctoris mentem. Confer Habertum *in notis ad Pontif. Graec.* Goarium *in notis ad Euchol.*, Morinum *de Sacram. ordin. exerc. XI.*

§. CCCXXVIII.

Materia ac forma.

Itaque quum ordines tantum Hierarchici, sive Episcopatus, Presbyteratus, ac Diaconatus a Christo Domino ad Sacramenti dignitatem evecti sint (§. praec.), atque ii, quemadmodum docent Apostolici actus, per manus impositionem collati fuerint (§. CCCXXII.), aliud nullum praeter manuum impositionem hujus Sacramenti signum sensibile admitti posse, videtur. Perpetua non minus Ecclesiae traditio inconcussum nobis praebet argumentum. Enimvero Concilium Ancyranum (Can. IX.) Diaconos per manuum impositionem ordinatos docet. Carthaginense IV. (cap. 2. 3. 4.) idem manifeste tradit de Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis; accedunt Toletanum IV. Hispalense II. Meldense, Tridentinum (Sess. XXIII. cap. 3.). A conciliis veniamus ad Patres. Cyprianus (*Epist. 68. ad Clerum, et plebem Hispaniae*) ordinationem per manuum impositionem fieri dilucide tradit; Ambrosius (*Lib. de dignit. Sacerd.* c. 5.) inquit, *homo manus imponit, Deus largitur gratiam;* ejusdem sunt mentis

Hieronymus (In cap. 58. Is.), Innocentius I. (Epist. 22. *ad Episc. Macedoniae*), Coelestinus (Epist. *ad Conc. Ephesinum*), Augustinus (Lib. V. *de bapt.* c. 20.). Eodem pertinet, Ecclesiam Graecam ac Orientalem in Ordinibus conferendis solam manuum impositionem semper adhibuisse (Vide Renaudotium tom. V. lib. V. C. VII. et VIII.). Quis autem dicere audeat, Graecos in Concilio Florentino ad unionem receptos Ordinis sacramento carere? Quid? quod Ecclesia universa per annos ad minimum nongentos Hierarchicos ordines absque instrumentorum porrectione contulit? Septem Diaconi, quomodo porrigendo Evangeliorum librum potuissent ab Apostolis ordinari, cum liber ille nondum esset conscriptus? Immo de traditione instrumentorum alte silent vetusta Sacramentaria, ac rituales libri summa industria collecti a Menardo, Morino, Martene, nec eam commemorant Amalarius, Rhabanus, Walafridus Strabo, etsi de modo, quo sacri ordines conferri solent, data opera agant. Quamobrem, ne cogamur asserere vel antiquam Ecclesiam Ordinis Sacramento caruisse, vel signum sensibile in sacris libris expressum fuisse immutatum, concludamus oportet, solam manuum impositionem hujus esse Sacramenti signum sensibile: formam autem verba, quae hanc solent comitari.

Scholion. Praeter eam quam propugnavimus sententiam, duae adhuc sunt, quae in catholicis scholis defenduntur. Sunt, qui existimant ordinationis *materiam* esse instrumentorum porrectionem, ac *formam*, verba, quae huic adjunguntur. Alii vero arbitrantur, tum in manuum impositione, tum in porrectione instrumentorum *materiam* esse reponendam, *formam* vero in verbis, quae ab ordinante Episcopo in actione utraque pronuntiantur. Ii vero auctoritate praesertim Eugenii IV. se praemuniunt, qui in *Armenorum instructione* ait: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur* ordo, *sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem... forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia etc.* At Eugenium de

sola *accessoria*, ac *integranti* materia, et forma, quam manuum impositioni optabat ab Armenis addi, ut in ipsis ritibus Rom. Ecclesiae similes essent, eique firmius adhaererent, fuisse loquutum, haud dubium est, quum ipsemet in Florentino Concilio ratas habuerit validasque Graecorum ordinationes sola manuum impositione collatas; nec ipse ignorare poterat, instrumenta porrigere, rem esse posterioris aetatis. Quapropter libratum mihi videtur Morini judicium, qui *p. 3. exerc. 7.* arbitratur, pium aliquem, ac doctum Episcopum ad ostendendum magis, ac veluti prae oculis ponendum finem, cur singuli ordines conferantur, instituisse, ut instrumenta, quae ordini cuilibet sunt propria, traderentur: id aequum visum fuisse Episcopis aliis, ab ipsis adoptatum, insertumque Romano Pontificali. Quae et vetustiorum Scholasticorum videtur esse sententia. Nam Hugo a S. Victore *lib. 2. de Sacram. p. 3. c. 12.* inquit: *Accipiunt calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu Episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles Deo hostias offerendi:* similia habet Magister sententiarum *lib. 4. dist. 24;* ac adhuc clarius evincitur ex veteri Pontificali Romano MS. Bibliothecae, Colbertinae, ubi legitur: *Accipiat patenam cum oblatis, et calicem cum vino, et ponat simul in manibus ordinati cujuslibet per se.* Unde si jam ordinati erant, ii quibus tradebantur instrumenta; haec ad materiam tantum *integrantem* pertinere affirmandum est. Confer Chardon *de ordine* p. 3. cap. X. seq. nec non quae scribit Benedictus XIV. *de Syn. Diaec.* lib. VIII. c. X.

§. CCCXXIX.

Res est solidissimis sacrarum litterarum, ac Patrum auctoritatibus munita, Episcopum esse hujus Sacramenti ministrum. Apostoli enim, quorum Episcopi successores sunt (§. CXI.) sacra ordinatione Diaconos condecorabant (§. CXXIII. CCCXXII.), in Ecclesiis singulis constituebant Presbyteros (Act. XIX. 22.). Paulus Timotheum, et Titum Episcopali dignitate exornabat (I. *ad Timoth.* III. et V. *ad Titum* I.); quibus etiam praescribit, quam eximiis animi dotibus praediti esse debeant ii, qui ad

Minister est Episcopus.

sacros ordines sunt promovendi. Nec ad explorandam Ecclesiae traditionem, tantum ea perspicua est, multum operae ponendum judico. Enimvero id aperte colligitur ex Cornelii epistola ad Fabium Antiochenum (Apud Eusebium lib. VI. *hist.* c. 43.), tum ex Synodo Alexandrina (*In epist. synod.*), Epiphanio (Haer. 75.), asserente Episcopos Ecclesiae Patres per ordinationem gignere, presbyteros autem filios tantum Ecclesiae per baptismum; Hieronymo (*Dial. adv. Luciferianos*), Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto (In cap. 3. et 4. epist. I. *ad Timoth.*), atque ex perpetua Ecclesiae consuetudine, secundum quam Hierarchicos ordines administrare, qui Episcopali dignitate haud praefulgeret, nemini unquam licitum fuit.

Scholion. At enim secundi Ordinis Sacerdotem ex Ecclesiae, aut Romani Pontificis dispensatione Tonsuram, Minores ordines ac Subdiaconatum administrare posse, dubium non est. Quandoquidem haec non sunt Sacramenta (§. CCCXXVII.); habent enim ecclesiasticam institutionem (§. CXXII. Schol.). Jam vero, quae ab Ecclesiae institutione dependent, illa ipsius subduntur legibus; unde per ministrum ab eadem delegatum conferri queunt. Hinc Gelasius Rom. Pont. *epist. IX. c. 6.* hanc facultatem Presbyteris concedi posse declarat. Synodus VII. oecumenica Abbati, qui sacerdos sit, facultatem ordinandi in proprio monasterio Lectorem elargitur. His adde, talem potestatem Abbatibus pluribus, aliisque religiosis viris sacerdotali dignitate insignitis non raro fuisse concessam. Quantum ad Presbyteratum attinet, ab alio Sacerdote non posse conferri, ut rem exploratam, certamque tenemus, quum nullum hujus dispensationis in antiquitate ecclesiastica occurrat vestigium. Diaconos, a sacerdotibus secundi ordinis delegata auctoritate posse ordinari non pauci inter Theologos censent; nos vero arbitramur, ita Episcopi id proprium esse, ut alteri nequeat concedi. Vid. Witassium *de ministro sacr. Ordinis*, Drovvenium, aliosque.

§. CCCXXX.

Nec foemineus sexus, nec vir non baptizatus ordinationis capax est.

Fuit ex vetustis haereticis nonnemo, qui sacri ordinis honores adversus sacrorum librorum, ac traditionis auctoritatem mulieribus attribueret. At adeone stupidi fuere, ut non animadverterent, nec in legis naturalis statu, nec Moysis lege perdurante feminarum ullam ad sacerdotalem dignitatem evectam fuisse? Eccur non perpendebant, Christum Dominum nec sanctissimam Matrem suam tali praerogativa ornatam voluisse, quum nec in ultima coena, quum Apostolos novi foederis sacerdotes instituit (§. CCCXXX.), nec quum remittendi, ac retinendi peccata eisdem contulit potestatem, ipsa praesens fuerit. An Apostolum minime legerant scribentem (I. ad Corinth. XIV. 34.): *Mulieres in Ecclesia taceant, nec enim permittitur eis loqui, sed subditas esse?* Hanc veritatem Ecclesiae Patres semper docuerunt. Nam Tertullianus (*Lib. de velandis Virginibus*), Auctor Constitutionum Apostolicarum (Lib. 3. c. 9.), Epiphanius (Haer. 75.), Chrysostomus (Lib. 2. *de Sacerd.*), Augustinus (*de Haer. n. 27.*), id plane vetitum esse pronuntiarunt. Verumtamen nec solae mulieres ad sacros ordines promoveri queunt, sed nec ii, qui sacro baptismatis fonte regeniti non sunt; nam per baptismum Ecclesiam ingredimur, ac civitatis Christianae juribus donamur (§. XC. CCXXVIII.). Societatis autem officiis, muneribusque frui non potest, qui ab ea alienus est. Quod etiam Nicaeni concilii auctoritate ostenditur (Can. XIX.). Nam de Paullianistarum Clericis, eo quod sub Trinitatis invocatione haud fuerunt baptizati, decernitur, ut *rebaptizati ordinentur*. Accedit vetustus canon (*In 3. decr. tit. 43.*), in quo legimus: *Si quis Presbyter ordinatus deprehendit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.*

Scholion. Marcus e Gnosticorum secta mulieribus consecrandae Eucharistiae potestatem faciebat. Cataphryges, Pepuziani, Quintilliani, Priscilliani, Collyridiani, Acephali, ut narrat Sigebertus ad an. 515. in eodem luto pedem fixerunt.

Difficultatem nonnullam movet Diaconissarum in

antiqua Ecclesia usus. Verumtamen eas vera, ac Sacramentali Ordinatione haud fuisse insignitas, inde persuademur, quod lib. 3. *Constitut. Apostol.* c. 15. ad mulierum tantum ministeria electae dicuntur, id etiam affirmat S. Epiphanius *in fidei exposit. num. 21.* atque *haeres. 79. num. 3.* Vid. Christianum Lupum *schol. ad can. XV.* Chalcedonensem, Morinum *exercit. X.* Equidem compertum habeo, Acatholicos non paucos ad conflandam Romanae sedi invidiam asserere, Joannam quandam inter Leonem III. et Benedictum IV. summo Pontificatu fuisse insignitam, quod prae caeteris conati sunt ostendere Conradus Deckerus, Grimus, Rudolphus Capelli, Maresius, Voëtius, Geringius, et praesertim Fridericus Spanhemius *in disquisitione histor. de Papa femina*, quae a Jacobo Lenfant gallice conversa, auctaque fuit. At putidissimam hanc esse fabellam demonstrarunt Michael le Quien *Oriens Christ.* tom. 3. Leo Allatius *confut. fabulae de Joanna Papissa*, Philippus Labbeus, *Cenothaphium Joannae Papissae ab Heterodoxis Maresio, Salmasio . . . . . . eversum, funditusque excisum demonstratione Chronologica ineluctabili*, Cel. Panvinius Augustinianus, Natalis Alexander alique sexcenti. Ex ipsis Heterodoxis Blondellus, Grotius, Vossius, Heumannus, Leibnitius, Semlerus *hist. Eccl. selecta capita* sex. IX. p. 311. Petrus Baelius *in dict.* voce *Papesse.*

§. CCCXXXI.

Effectus Ordinis.

Nunc vero superest, ut de hujus Sacramenti effectibus perpauca proponamus. Qui sacro ordine decoratur, facultatem indubie recipit ea exercendi munera, quae ordini suo adnexa sunt. Verum illud excellentius, quod gratiam sanctificantem recipit (§. CCCXXII. CCCXXIII.), evinciturque adhuc ex Ecclesiae precibus. Nam in Graecorum Euchologio exorat Pontifex, ut, qui ad Presbyteri gradum evehitur, dono Spiritus sancti sui repleatur, ut inculpate sancto Altari adsistendo dignus fiat, Evangelium sanctum annuntiare, et hostias spirituales offerre, quibus reperies consona in Pontificali Romano. Confert insuper Ordo characterem, internam nempe, ac indelebilem notam, qua a caeteris fidelibus secer-

nuntur, qui hoc Sacramento exornantur, atque Divino cultui peculiari quadam ratione mancipantur (*). Quam constantem fuisse Majorum nostrorum fidem, arduum non est ostendere. Ecclesia enim semper judicavit Sacramentum hoc haud posse iterari. Unde in canonibus, qui dicuntur Apostolici, legimus (Can. 68.): *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus secundam ordinationem ab alio perceperit, deponatur, et ipse qui ordinavit.* In Concilio Carthaginensi III. (Can. 38.): *Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria synodo videtur statutum: Non liceat fieri rebaptizationes, et reordinationes.* Auctor libri *de operibus Christi cardinalibus* (*Inter opera Cypriani*): *Nemo*, inquit, *Sacros ordines semel datos iterum renovat . . . . quia contumelia esset Spiritui sancto, si evacuari posset, quod ille sanctificat.* At nemo melius Augustino Catholicam hanc doctrinam defendit, munivit; illustravit, quippe qui (*Lib. II. contra Epist. Parmanen. cap.* 13. n. 28. Confer *et serm. de gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo*, ac lib. *de bono conjug.* cap. 24.) de baptismo et ordine instituens sermonem ait: *Utrumque enim Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illum cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari.* Gregorius Magnus (*Lib. II. Epist. 32. indict. X.*) affirmat, eum, qui semel consecratus est, in eodem ordine amplius consecrari non posse, quemadmodum ille, qui baptizatus, nequit iterum baptizari. Accedunt synodus Toletana VIII. (cap. 7.), Tricassina II. Innocentius III. (*cap. Majores.*), Eugenius IV. (*in Instruct. Armenorum*), ac postremo synodus Tridentina (sess. VII. can. 9. et sess. XXIII. cap. 4.).

Scholion. Quantum ad ordinationes ab Episcopis haereticis, schismaticis, degradatis, simoniacis, vel

---

(*) Hallier *de Eccl. Hierarchia* lib. 3. art. 7. §. 4. characterem egregie explanat, atque quanam ratione ordinis character, a charactere baptismi et confirmationis discrepet, accurate proponit.

adversus canonum praescripta peractas, an eas Ecclesia agnoverit validas, rem dubiam esse existimat Joannes Morinus *de sacr. ordin.* p. 3. exerc. 5. allatisque pluribus testimoniis probare nititur, Conciliorum statuta, ac Pontificum decreta variasse; nonnunquam approbatas fuisse, interdum rejectas. Addit ad saeculum usque XIII. communi fere Theologorum consensu irritas habitas fuisse, cujus rei hanc profert rationem, quod in potestate Ecclesiae sit, quasdam statuere, vel in conferendis, vel recipiendis ordinibus leges, quibus haud servatis irritae habeantur ordinationes ipsae. In charactere autem duo secernit, ipsam *substantiam*, ac *virtutem agendi*. Characterem semel impressum perpetuum esse, nec posse deleri ait, sed ipsius virtutem ita ab Ecclesiae arbitrio pendere, ut si id decernat Ecclesia, nihil amplius agat, aut agere queat. At communis est Theologorum sententia, ordinationes hasce, etsi illicitae sint, tamen validas habendas esse, nec reiterandas. Vid. Witassium, Berti, Drovven, Juvenin, Chardon.

CAPUT VI.

De Sacramento Extr. Unctionis.

§. CCCXXXII.

Quid unctio extrema? Quam bonus est, clemens, ac erga fideles suos providentissimus Redemtor noster! Quippe qui non solum maxima instituit omnibusque paravit saluberrima suae gratiae auxilia, quibus vel perditam justitiam ac sanctitatem acquirere, vel acquisitam, dum vivimus, conservare facile possemus; verum etiam extremae Unctionis Sacramento finem vitae nostrae adversus daemonis insidias velut firmissimo praesidio munitum voluit. Unctio extrema a Latinis vocari etiam solet *unctio sacrati olei*, *sacra unctio*, *Sacramentum exeuntium*, *unctio infirmorum*. Graeci vero nuncupant εὐχέλαιον oleum cum precibus, ἅγιον ἔλαιον oleum sanctum; Orientales autem *Kandil*, eo quod unctio haec oleo lampadis a pluribus Presbyteris benedicto fieri apud ipsos consuevit. Jam vero ad definitionem: est *Sacramentum novae legis a*

Christo Domino institutum, quo per inunctionem olei benedicti, et orationem aegrotantibus fidelibus confertur gratia sanctificans, eosque confirmans, ut aequo animo morbi ferant molestias, frangantque daemonis insidias, nec non si expediat illis, a corporis infirmitate liberentur.

Scholion. Sacramentum hoc magnam habet cum Poenitentiae sacramento affinitatem, affirmantibus PP. Tridentinis sess. XIV. *de Sacramento extremae unctionis, quod non modo Poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.*

§. CCCXXXIII.

Nec magnum opus est, nec arduum ostendere, extremam unctionem novae legis Sacramentis esse accensendam; veritatem enim hanc habemus in Jacobo Apostolo (In Epist. c. V. 14. 15.) apertam ac perspicuam: *Infirmatur*, ait, *quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* En in olei inunctione sensibile signum, in oratione Verbum Sacramentale, atque in peccatorum remissione, ac animi vel ob morbum corporis, vel ob Satanae insidias dejecti levatione gratiam Sacramentalem; atque quemadmodum de baptismo dicitur (Matth. 28.): *Baptizantes eos in nomine Patris*, ita Jacobus asserit: *ungentes eum oleo in nomine Domini*, quibus innuitur effectum utrumque spiritalem esse, atque ex virtute Divina exoriri; ex quo Divina pariter institutio certo colligitur; nam sensibilibus signis efficaciam producendi gratiam sanctificantem non Apostolicae, sed Divinae tantum potestatis est. Itaque cum habeamus id omne, quod ad veri nominis sacramentum attinet, merito unctionem extremam iis adnumeramus.

Est verum Sacramentum.

Scholion. Sacramentum istud a Christo Domino nostro institutum fuit, apud Marcum quidem insinua-

tum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum, ajunt Tridentini Patres *Sess.* XIV. c. 1. Et sane, quemadmodum caeterorum, quae in Epistola sua Jacobus habet, ipse auctor non est, sed vel a Christo Domino, vel ex aliis sacris libris depromsit; ita etiam, quae de extrema unctione fidelibus omnibus promulgat, Christum habent Auctorem. Quod si de institutionis tempore loquamur, id adeo perspicuum non est. Arbitrantur nonnulli Theologi, id contigisse *Marci* VI. quoniam de duodecim a Salvatore missis habetur, quod *ungebant oleo multos infirmos, et sanabant.* Alii verosimilius judicant, institutionem hujus Sacramenti ad illud tempus fuisse dilatam, quando post Resurrectionem suam Christus cum Apostolis conversans, *eis loquebatur de regno Dei.* Act. I. 3. Sunt etiam, qui ad illud tempus referunt, quando poenitentiae, cujus quasi complementum est extrema unctio, instituit Sacramentum. Porro quod post Hugonem a S. Victore Magister sententiarum asserit, hoc Sacramentum ab Apostolis fuisse institutum, hos cum illustri Estio in *lib.* 4. *dist* 23. §. 3. exponere possumus non de institutione primaeva, sed de promulgatione; quo sensu ajebat Gratianus: *Leges instituuntur, cum promulgantur.* Heterodoxis autem opponentibus non posse veluti Sacramentum propugnari, de cujus institutione vel ipsi dissentiunt Catholici, reponimus, ante XI. Saeculum extremam unctionem semper habitam fuisse ut verum Sacramentum; nos vero minime curare, quid nonnulli posterioris aetatis Scholastici ingenio suo nimium indulgentes conscripserunt; id certum est, antiquis temporibus verba haec institutionis *immediatae* aut *mediatae* penitus fuisse ignota.

§. CCCXXXIV.

Encyclopediae objecta.

Protestantes, ait adversarius (*), solidissimis fundamentis innitebantur, quum unctionem extremam e Sacramentorum albo expungebant, immo penitus abro-

(*) Encyclopedie *article Extreme unction*, cui affinia habent Forbesius *inst. hist. Theol.* Dallaeus *de extrema unctione I. lib.* Turretinus *loc.* 19. q. 31. §. 27. seq.

gabant. Nam I. Olei inunctio ceremonia est mere Judaica, qua utebantur ii veluti gratiarum symbolo, quae extra ordinem a Deo conferuntur: usus iste est, cui se conformarunt Apostoli in usum assumendo hanc eandem unctionem tamquam signum virtutis, quam in miraculosis aegrotorum curationibus Deus ostendebat; unde cum hae gratiae habuerint finem, unctio, quae earundem symbolum erat, inutilis plane evasit, nec amplius est retinenda. II. Maxima occurrit dissimilitudo inter Apostolorum, et quae a Catholicis fit inunctionem; ea oleo communi absque mimicis ceremoniis, omnibusque indiscriminatim conferebatur; inungebant omnes aegrotos, etsi non essent morti jam proximi, habebaturque ut signum curationis corporis non vero animae; quod e diametro pugnat cum usu et praxi Catholicorum. III. Opponi nequeunt verba Jacobi: *si in peccatis est, remittentur ei*, nam hunc effectum non inunctioni, sed merito orationis fidei Apostolus tribuit; tum de iis peccatis loquitur, propter quae Deus primis Christianis morbos extraordinarios infligebat (I. ad Corinth. XV. 30.), atque nil aliud vult, quam accepta horum morborum salute, arbitrari debebant, se peccatorum remissionem obtinuisse, quae ad eos infirmitates attraxerant. IV. Extrema unctio nihil habet, quod ad Sacramenti naturam pertineat; nam haec unctio signum erat gratiae corporalis ac visibilis, nec a Christo praecepta fuit, et si viva voce id praestitit, Apostolis tantum fuit, non Ecclesiae Christianae; tum secundum Catholicorum principia Sacramentum esse debet valde inutile, quum peccatorum remissio habeatur per poenitentiam.

Scholion. Arbitrantur nonnulli, Waldenses, Wicleffitas, Hussitas hoc Sacramentum denegasse; at, eos ob Sacerdotum nonnullorum avaritiam tantum neglexisse, verosimilius est. Confer Bossuet *hist. Var.* lib. XI. §. CVIII. CLXV. Itaque Lutherus, Calvinus, eorumque sectatores a suis coetibus hoc Sacramentum primitus eliminabant. Dallaeus nullum fuisse apud primitivae Ecclesiae Patres unctionis usum contendit. Chamierus vero in Ecclesia fuisse continuatum asserit; sed nunquam habitum fuisse ut Sacramentum.

§. CCCXXXV.

Enodantur. Fuerit olei inunctio ritus apud Judaeos usitatus, quid inde? Nonne iimet sua habebant baptismata ac purificationes legales? An Protestantes, ne Judaeorum ceremonias aemulare videantur, baptismum abrogabunt? Perperam vero de solis ex gratia corporis curationibus Jacobum adversarius explanat. Nam si de iis sermo sit, manuum potius impositioni tribuendae videntur: ajente Christo Domino (Marc. XVI. 18.), *super aegros manus imponent, et bene habebunt;* Paulus (Act. XXVIII. 8.) Publii Patrem laborantem febribus, manus ei imponendo, saluti restituit. Quid? Quod curationum gratias non solis Apostolis, vel Presbyteris, sed cui magis placebat, Deus elargiebatur, quemadmodum ex gentium Doctore addiscimus. *Alii*, inquit (I. ad Corinth. XII. 9), *gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum.* At enim inunctio, de qua Jacobus loquitur, Ecclesiae Presbyterorum proprie erat, pro solis Christianis fuit instituta, quibus animae levationem dat, ac peccatorum, quae adhuc supersunt, remissionem; cum tamen salutis corporeae gratia etiam infidelibus fuerit impertita. Nec fidei oratio intelligenda est vel dantis vel suscipientis fides, sed verbum Sacramentale, quod oratio fidei dicitur, quia fidei mysterium continet, atque fidei Ecclesiae nititur, ac in ea administratur. Quo fit, ut inunctionis usus, nec inutilis evaserit, nec sit repudiandus. Toto caelo inunctionem in Ecclesia catholica usitatam ab Apostolorum inunctione distare, adversarii commentum est. Etenim, quod adeo confidenter asserit, Apostolos oleo non benedicto usos fuisse, unde probare possit, non video. Equidem compertum habeo, Christum Dominum panem et vinum (Matth. XXVI. 26.) benedixisse, tum pisces, quos turbae distribuendos jussit (Marci VIII. 7.). Scio etiam Pauli mentem fuisse (I. ad Timoth. IV. 4. 5.), *quod omnis creatura Dei bona est . . . . santificatur enim per verbum Dei et orationem.* Nec ignoro consuetudinem benedicendi oleum antiquissimam esse a Latinis, Graecis, Orientalibus in usum assumptam, cujus initium, quum assignari non valeat, ad ipsa

Apostolica tempora merito referimus. Apostoli itaque benedictum oleum adhibebant. Porro inunctionem a Jacobo promulgatam omnibus indiscriminatim fuisse collatam, falsum est, ea enim aegrotis tantum et fidelibus administrabatur, ad animae levamen ac sanctificationem, nec non interdum ad corporis recuperandam valetudinem. Porro nec nos iis, qui jam sunt morituri, conferendam esse asserimus. Quamobrem cum Apostolica Sacramentali inunctione plane convenit ea, quae viguit, vigetque modo apud Catholicos. Quis autem aequo animo ferat violentam hanc verborum Jacobi expositionem: *Si in peccatis est, remittentur ei*: si peccando morbum contraxit, ex corporis valetudine agnoscet remissa sibi esse peccata? Nam Apostolus duplicem distinctumque recenset effectum, salutis corporeae, si anim. expedit (secus obiisset nemo, qui Apostolorum inunctionem recepisset); ac gratiae sanctificantis, quae animam exornet, ac adversus daemonis insidias firmet. Libenter tamen dabo peccata nonnunquam aegritudinum causam esse; verum inde nil aliud concludi potest, quam sicuti peccatum animae nocet, ac non raro etiam corpori; ita animae, ac nonnumquam corpori hoc Sacramentum prosit. Jam vero extremam unctionem Sacramenti habere rationem evicimus (§. CCCXXXIII.). Nec solis Apostolis praecepta fuit, quum Jacobus in epistola Catholica, id est, ad universas Ecclesias directa, velit, ut aegroti Presbyteros, qui ipsos oleo inungant, advocent. Nec inutilis censenda est innctio, etsi poenitentia ad remittenda peccata instituta fuerit. Enimvero ejus virtute adversus mortis pericula ac daemonis insidias anima roboratur, haec vincit torporem spiritus, ac leviora, quae remanent, peccata delet.

Scholion. Innocentius I. *in epist. ad Decentium* olei ab Episcopo benedicti meminit, *tum Sacramentarium Gregorii* magni, antiquissimi libri Pontificales Ecclesiae Latinae, nec non Concilium Cabillonense. Graeci in Euchologio officium habent S. Olei, nec non Orientales, de quorum ritibus vide Renaudotium. Hanc autem Jacobi epistolam canonicam esse, patet ex Clemente Rom. Pontif. in *epist. ad Corint.* In-

nocentio *ad Decentium*, Gelasio ac Romana ejus synodo, Hieronymo *adv. Jovinianum*, Augustino *lib. 2. de doct. Christ.* cap. 8. Origene *hom. 3. Exod. et 2. in Levit.* Cyrillo Hierosol. *Cat. IV.* Athanasio *in epist. Pasch.* Epiphanio *haer.* 9. et 76. Concilio Laodicensi Can. 58. aliisque inconcussis momentis.

Catechismus Romanus p. 2. n. 9. eos gravissime peccare docet, qui illud tempus aegroti inungendi observare solent, quum, omni jam spe salutis amissa, vita et sensibus carere incipiat.

§. CCCXXXVI.

Quod et ostendit traditio.

At enim, quum Acatholicorum sententia sit inunctionem olei pro solis fuisse Apostolicis temporibus; quantum ipsi hallucin[illegible], constans Ecclesiae traditio prae oculis ponat. Origenes de poenitentiae Sacramento disserens, ac extremam unctionem veluti Sacramentum, quod cum altero magnam habet affinitatem, ac quasi, ejusdem consectarium considerans, inquit: *In quo impletur et illud, quod et Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiae, et imponent ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et si in peccatis est, remittentur ei.* Joannes Chrysostomus (Lib. 3. *de Sacerd.*), ut ostendat Sacerdotes peccati remittendi obtinuisse potestatem, laudatum etiam affert Jacobi locum. Victor Antiochenus (In cap. VI. Marci, *floruit an.* 401.), hoc Sacramentum clare agnoscit. Innocentius I. (Epist. ad *Decentium*) fideles infirmos sacro oleo vel ab Episcopo, vel a Presbytero inungendos affirmat, ac subdit: *Nam poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putetur posse concedi?* Quo in loco extremam unctionem cum aliis novae legis Sacramentis comparat, accensetque Augustinus (*In speculo* non spurio, sed genuino), qui cum dixisset se velle ea colligere, quae etiamnum ad vitam piam exercendam, moresque pertinent, infirmorum inunctionem ex Jacobo commemorat. Acta S. Trepani fidem faciunt (*Apud Bollandistas* 7. *Febr. vixit saec. VI.*), quod ille oleum sanctae reconciliationis humili ac sincera con-

tritione recepit. S. Eugendum unctionem hanc ante mortem recipisse ostendit Mabillonius (T. I. act. Sanctorum Ordinis Benedict.). His adde Sacramentarium Gregorii magni, S. Eligium Noviomensem Episcopum (Floruit sec. 7. apud Dacherium tom. V. spicil.), Theodorum Cantuariensem (*In Poenitentiali*), Venerabilem Bedam (In cap. V. Epist. Jac.), Concilium Cabillonense (Can. 48.), Aquisgraneuse II. (Can. V.), Regiaticinum (Cap. 8.), Nanuetense (Cap. 4.), Constantiense ac Tridentinum. Rem perspicuam, ac evidentem reddit omnium Ecclesiarum Graecae etiam et orientalis perpetuus consensus. Quandoquidem extremam unctionem Sacramentum esse docent Simeon Thessalonicensis, Gabriel Philadelphiensis, Hieremias Patriarcha, Gregorius Protosyncellus, confessio Orthodoxa, Meletius Syrigus, ac eorum rituales libri. Idem de Orientalibus judicium ferendum est; habent enim ritus Ecclesiae Graecae similes, salutem corporis, si aegroto expediat, postulant, sed praecipue remissionem peccatorum secundum promissionem, quam Jacobi ore Salvator Ecclesiae dedit (*Apud Renaudotium* tom. V. lib. V. c. 1.). Unde fit manifestum, quantis in tenebris versati sint Guido Carmelita, Prateolus, Caucus, ac quotquot affirmarunt, Graecos hoc carere Sacramento.

Scholion. Ex his evincitur commemorati articuli Encyclopaedici auctorem errasse, quum dixit, Innocentium I. de aegrotorum inunctione veluti de pura ceremonia fuisse loquutum: nec ipsi prodest, quod dicit: *Non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo*. Nam aliud est, laicos posse oleo benedicto devotionis causa se vel alios inungere, aliud inunctionem illam futuram fore in effectu eamdem quam Jacobus describit. Primum dici potest; alterum penitus inficias imus. Ita laici aqua pro baptismo benedicta uti commuuiter solent; etsi baptismatis tunc temporis Sacramentum non conficiant. Caeterum plures Cl. Theologi censent verba Innocentii non in *activa*, sed *passiva* significatione esse accipienda; nec similia desunt exempla apud aureae Latinitatis Scriptores, veluti cum Poeta cecinit: *Frigidus in pratis cantando*

rumpitur anguis, aut Georg. III. *Carpit enim vires paullatim, uritque videndo, foemina*. Et sane quis addubitasset umquam, Episcopos posse hoc Sacramentum administrare, si id Laicis omnibus fuisset concessum? Confer *Berti lib.* 35. *cap.* 8. Maldonatum in cap. VI. Marci, Jansenium Gandavensem, Coustant *in notis ad Epist. Innocent.* Bellarminum, Benedictum XIV. lib. 8. *de Syn.* Porro quod addit adversarius, Patres priorum saeculorum, dum Sanctorum hominum mortem describebant, hujus ipsis collatae inunctionis haud meminisse, leve est ac infirmum. Nam de rebus omnibus gestis, mentionem semper Patres non faciunt; tum poenitentibus, ac martyribus, quorum ingens erat numerus, administrari non solebat; tum aliis etiam administrare, vigentibus persequutionibus difficile erat, quum Christiani in eadem domo Gentilibus permiscerentur, quibus etiam nostra mysteria diligenter occultabant. His adde Can. Nicaeno XIII. praescribi iis, qui ad exitum venissent, Eucharistiam fore in modum viatici administrandam. Nihilominus uterque Gregorius Nazianzenus, et Nyssenus, Hieronymus, Severus Sulpitius sanctorum plurium acta recensentes ipsis administratam Eucharistiam minime affirmant, etsi ipsis datam fuisse, nemo prudens ibit inficias. Vid. Drouven lib. VIII. c. 2. art. 2.

§. CCCXXXVII.

Signum sensibile Sacramenti.

Res est perspicua, atque a Jacobo Apostolo clare enuntiata (§. CCCXXXIII.), signum sensibile hujus Sacramenti oleum esse, liquorem nempe ex olivarum baccis expressum, qui absque additamento communi consuetudine oleum nuncupari solet. Id declararunt non minus PP. Tridentini (Sess. XIV. c. 1.) qui etiam analogiam, quam cum effectu spiritali hoc elementum habet, ostendunt. *Unctio aptissime*, inquiunt, *Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat.* Oleum vero si constantem attendas Ecclesiae traditionem alterius nullius liquoris admixtionem habere debet. Validum tamen esset Sacramentum admixto liquore collatum, nisi tanta ejus copia esset, ut externam olei speciem auferret. Illud insuper ab Episcopo benedictum esse debet; sed apud Graecos ac

Orientales Presbyterorum id munus est, ab ipsis Rom. Pontificibus minime vetitum. Porro an extrema unctio oleo non benedicto collata valida esset, Theologi dissentiunt; multi agnoscuut; multi etiam refragautur. Porro cum relicta opinione probabili tutior pars in Sacramentis conferendis sit amplectenda quemadmodum docet Innocentius XI., graviter peccaret, qui oleo non benedicto hoc Sacramentum non administraret.

Scholion. Confer Benedictum XIV. de Syn. lib. 8. c. 1. aliosque dogmaticos Theologos.

§. CCCXXXVIII.

Neque ambigi potest, Sacramentum hoc suam habere verborum formulam, quae licet quantum ad verba singula a Christo Domino non fuerit determinata, jussit tamen ipse, ut ea pronuntiarent ministri, unde ejusdem praecipuus effectus dignosci queat. *Orationem fidei* nuncupavit S. Jacobus, tum quia fides orationem comitari debet (Jac. I. 16.), ac oratio luculentum est nostrae fidei testimonium; tum quia victoria nostra est per fidem (Joan. V. 4.), cumque unctio infirmi animum ejus erigat, alleviet, vires praebeat, ut adversarii astus insidiasque superet, recte verbum Sacramentale *oratio fidei* dicitur; eo vel maxime, quia Sacramenti spiritalis effectus sola fide percipitur, ac Ecclesiae fidei nititur, eamque exprimit (§. CCCXXXV.). Latini hanc in usu habent a PP. Tridentinis, ac Romano praesertim Rituali mandatam: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum etc.* Graecorum autem sic incipit: *Pater sancte animorum et corporum medice etc.* Deprecativa est tam Graecorum quam Latinorum forma, at si verbis indicativis concepta esset, quemadmodum eam exhibent vetusti multi rituales libri, in robore suo permaneret adhuc Sacramentum. Nihilominus praescriptam in proprio rituali formam nemo absque gravi piaculo potest immutare (*). Verba Sacramenti.

Scholion. Formula indicativa occurrit in codice

(*) Ut inquit Benedictus XIV. loc. laud.

vetustissimo Ecclesiae Catalaunensis, in manuali Corbejensi, Suessionensi, Metensi, Lugdunensi, Narbonensi, atque in antiquissimo Sacramentorum libro Bibliothecae Vaticanae, in Ambrosiano permultae aetatis, quem commemorant S. Bonaventura *dist.* 23. *art.* I. q. LV., in Veneto approbato, ut dicitur a Leone X. Quas, nonnullasque alias formulas collegerunt Menardus, Morinus, Martene, Launojus. Ex his apparet, Ecclesiae traditioni repugnare Lutherum *de captiv. Babyl.*, Calvinum *lib. IV. instit.* Chemnitium aliosque blaterantes externae unctionis formam institutam fuisse nullam.

§. CCCXXXIX.

Minister. Duo, quae carpant, reprehendantque in hujus Sacramenti ministro, Heterodoxi quaerunt: unum, quod presbyterorum nomine Romana Ecclesia Sacerdotes intelligat, quum, ut ipsi ajunt, laicos aetate seniores Jacobus designaverit: alterum, quod Apostolus plures advocandos jubeat; ipsa vero unicum tantum presbyterum statuat hujus Sacramenti admiuistrum. Ast iimet non sunt assequuti Apostoli mentem. Etenim, quamvis, si ad nominis etymologiam attendas Presbyter idem sit ac Senior; tamen sacrorum librorum novi testamenti consuetudine *presbyteri Ecclesiae* ii soli sunt, qui accepta manuum impositione ad sacerdotalem dignitatem promovebantur (Act. XIV. 22. I. ad Timot. V. 17. 19. I. Petri V. initio epist. II. et III. S. Joan.), qui etiam septuaginta discipulis successere, ex ipsa Christi institutione a reliquo Christiano populo distincti (§. CXV.). Non itaque ad aetate seniores laicos Jacobus Apostolus respexit. Atque quum perpetuus Ecclesiae usus sacras litteras interpretandi certam nobis regulam tradat; ac Christianae nationes omnes a vetustistissimis temporibus, eos tantum, qui sacerdotali dignitate ab Episcopis fuere decorati, habuerint hujus Sacramenti ministros; facile quisque judicabit, quanto in errore versentur Acatholici Ecclesiae Catholicae coarguentes consuetudinem. Nec meliorem ii tuentur causam, cum Apostolum volunt plures statuisse hujus inunctionis ministros. Nam Scripturae non raro, etsi plures videantur innuere, unum tamen designant. Exem-

plum habemus apud Matthaeum asserentem Latrones Christo in cruce improperasse (XXVII. 44.), quum Lucas ab uno id sceleris factum fuisse narret (XXIII. 39.). Plura adhuc ex ipsis sacris litteris, scriptoribus profanis, ac communi loquendi more hanc in rem opportuna Magnus Augustinus collegit (Lib. III. de cons. Evang. c. 16.). Nec deest hujus praxeos in antiquitate suffragium. A solo Episcopo unctionem extremam administrari posse Innocentius I. docuit (*Epist. ad Decent.*). S. Artemum ab unico S. Nepotiano oleo perunctum fuisse fidem facit Gregorius Turonensis (*Lib. I. hist. c. 41.*), S. Augendus (*Apud Bollandum I. Jan.*) ab uno hoc Sacramentum recepit. Prudentius Tricassinus solus Beatae Maurae unctionem extremam contulit (*In ejus vita*). Latinae etiam Ecclesiae rituales libri vetustissimi a Launojo editi hanc veritatem, in toto suo lumine ponunt. Accedunt definitiones Alexandri III. (*Cap. quaesivit in V. decret. tit. 40. de Verborum Signif. n. 14.*) et Benedicti XIV. (*In constit. Etsi Pastoralis*). Unde tot muniti praesidiis jure contendimus, de unctione a pluribus Sacerdotibus facienda praeceptum nullum a Jacobo latum fuisse.

Scholion. Calvinus *instit.* lib. IV. c. 19. negat presbyterorum nomine intelligendos esse sacerdotes, additque ad inunctionem a Jacobo praescriptam plures fuisse necessarios: consonat Lutherus *de capt. Babyl.* At quod miraudum est, Waldenses, quos uti majores suos Lutheri et Calvini asseclae venerantur, id vitio dabant Ecclesiae Catholicae, quod unctio extrema a Sacerdotibus pluribus soleret administrari.

Haud tamen ignoramus saepe in Ecclesia Latina Unctionem postremam a pluribus sacerdotibus fuisse administratam: non pauca exempla produxit Martene *de ant. Eccl. rit.* lib. I. c. 7. art. 3. quod etiam a Menardo praestitum fuit *not.* 909. ad Sacram. *S. Gregorii.* Graeci etiam ac Orientales hanc adhuc habent consuetudinem, ut ex Simeone Thessalonicensi, Arcudio *lib. V. conc.* c. 3. Allatio *de cons. perp. utriusque Ecclesiae*, aliisque patet. Confer Benedictum XIV. *de syn.* lib. 8. c. 4. §. V.

§. CCCXL.

Quibus ministrandum.

A ministro ad eos progredimur, qui ex Divina institutione ad Sacramentum hoc suscipiendum idonei sunt; hos vero esse comperimus, qui gravi infirmitate laborant. Jacobus enim ait: *Infirmatur quis in vobis*, graece ἀσθενεῖ τις. Quod verbum ex Scripturarum consuetudine de gravi morbo accipitur (*). Accedit infirmum inungendum vocari τὸν κάμνοντα, a κάμνω, *flaccesco*, *deficio*, *succumbo*, *gravi infirmitate laboro*. Unde compertum fit, inanes esse Heterodoxorum clamores, eo quod extrema unctio graviter decumbentibus a Catholicis administretur. Age vero, quid majores nostri senserint, paucis investigemus. Innocentius I. de fidelibus aegrotantibus Apostolum intelligendum judicat, quod non minus evincitur ex Sacramentario Gregorii magni, atque ex poenitentiali Theodori Cantuariensis, ubi etiam dicitur: *Infirmis in periculo mortis positis* conferendum esse: in Capitularibus Caroli magni (Lib. VI. c. 75.) *infirmitate depressis*, quod iisdem plane verbis describit Aquisgranense Concilium. Accedunt Concilium Cabillonense (*Can.* 48.), Ticinense, David Nannetensis Episcopus (*In statutis Ecclesiasticis*), Eugenius IV. (*In decreto*), ac PP. Tridentini (Sess. XIV. cap. 3.): plura alia, quae Launojus congessit (*De Sac. unct. infirmi* cap. I. *seq.*), in rem nostram egregia, silentio praetereo.

Scholion. At enim difficultatem nonnullam movet, quod Graeci, uti ex ipsorum Euchologio, ac Hieremia in sua censura adversus Augustanam confessionem patet, sanos ac incolumes sacro oleo in peccatorum remissionem inungere soleant; immo ut testatur Goarius *in not. ad Euch.* Episcopus feria V. majoris hebdomadae oleum infirmorum, quod consecravit, adstantes inungendo absumit totum. Ar-

(*) Id videri potest apud *Mattheum* X. 8. *Marcum* VI. 36. De filio Reguli, qui infirmabatur Capharnaum, mortique proximus erat, legitur ἠσθένει *Joan.* VI. 46. quod Graecum verbum occurrit etiam, ubi de Lazari infirmitate, ac de Tabitha illa, quae ex morbo mortua fuit: apud *Joan.* XI. 3. et *Act.* IX. 36.

cudius opinatur *lib.* V, cap. 4. Graecos bene valentibus unctionem Sacramentalem velle conferre, quo seusu Graecorum praxim multi Theologi merito reprobarunt; atque Benedictus XIV. lib. VIII. *de syn.* c. v. mandat Episcopis latinis; sub quorum jurisdictione Graeci degunt, ut diligenter attendant, an illi sanos inungendo, Sacrameutnm iis conferre intendant, atque abusum hunc, si adsit, severe interdicant. Nihilomiuus adsunt Theologi gravissimi censentes, quod Graeci meram ceremoniam, non Sacramentum velint administrare. Vide Goarium *in not. ad Euchol.* p. 492. Renaudotium *tom.* V. *lib.* V. c. 3. Chardon *hist. sacr. tom.* II. *lib.* 3. c. 4. Drouvenium *lib.* VII. *quaest.* V. C. I. §. I. Unctio autem extrema infautibus administranda non est, unde repudiamus opinionem Maldonati *de sacr.* et Nicolai Cusani *Epist. 3. ad Bohemos*, ni forte ii non de inunctione Sacramentali loquuti fuerint, sed devotionis tantum causa voluerint infantes esse inungendos. Vid. Berti *lib.* 33. c. IX.

§. CCCXLI.

Effectus Sacramenti.

Restat, ut de Sacramenti hujus effectibus dicam. Hos recensent PP. Trideutini (Sess. XIV. c. 2.): *Res etenim haec, ajunt, gratia est Spiritus sancti, cujus unctio, delicta, si quae sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo Divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, ac labores levius fert, et tentationibus Daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.* Quamobrem Sacramentum hoc peccata remittere, ac gratiam conferre dubium non est. Quod idem, quae apud utramque Graecam ac Latinam Ecclesiam viget formula, diserte ostendit. Nec arbitramur quidpiam officere, quod Jacobus dicat, *si in peccatis est, remittentur ei.* Nam particula *si* conditionem rei incertae haud semper involvit; sed non raro, uti apud Malachiam (I. 6.), ac Jacobum ipsum (I. 5.), quod certum est, ac inconcussum denotat. Quamquam tamen, si quis nulli prorsus obnoxius esset vel levi peccato,

augmentum tamen ipsi sanctificantis gratiae praeberet. At vero, an peccata solum venialia, an etiam mortalia condonandi vim habeat, an id virtute sua praestet, vel ut nonnulli loquuntur, *per accidens:* id est, de quo contentionis finem Scholastici ducunt. Per reliquias autem, quas abstergit, peccati, intelligimus animi hebetudinem, torporemque ex Originali non minus, quam ex peccatis actualibus contractum, quem sanat, vincitque, ac hominem ad coelestia meditanda, ac diligenda magis aptum, idoneumque reddit. Jam vero, quod salutem corporis producat raro, inde repetendum est, quod ut ait Augustinus (Ench. c. 66.), *totum, quod salutaribus agitur Sacramentis magis ad spem futurorum bonorum, quam ad retentionem vel adoptionem praesentium pertinet.*

Scholion. Sententia est Dominici Soto, ac nonnullorum Thomistarum, per unctionem extremam peccata tantum *per accidens* dimitti; at id efficere vi suae institutionis plures Theologi asserunt. Verum Estius cui multi adhaerent, arbitratur, hoc Sacramentum habere efficaciam dimittendi tantum venialia peccata; Bellarminus autem, ac Maldonatus etiam mortalia condonari judicant. Quandoquidem isti ajunt, fieri potest, ut post Sacramentalem confessionem, quis in gravem culpam, qua tamen se innodatum ignoret, lapsus fuerit; contingere etiam potuit, ut quis Sacramentalem confessionem, ac communionem rite non peregerit, atque hoc ipsum ei sit incompertum, unde accedente extrema unctione peccata haec remitti affirmant. De extrema unctione generatim Vide Launojum, Sambovium, Benedictum de Cajetanis, Berti, et Cl. Trombelli.

CAPUT VII.

De Sacramento Matrimonii.

§. CCCXLII.

Novae legis Sacramentis loco postremo accensetur *Matrimonium*, quod ita nuncupatum censemus, quoniam eum in finem foemina nubere debet, ut mater fiat (Augustinus lib. XIX. *contra Faustum*, c. 26.). Est autem matrimonium : *viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens* (*Catech. Conc. Trident.*). Dicitur *conjunctio*, eo quod in nexu et vinculo conjugali, quod ex mutuo contrahentium consensu exoritur, matrimonii consistit natura: *maritalis*, quo ab aliis omnibus contractibus, pactisque, quae hac in re illicite possent intervenire, secernitur : *Viri et mulieris*, tum ad excludendam Polygamiam, tum ad ostendendum sexus diversi esse debere, qui matrimonium contrahunt. Personae autem debent esse *legitimae :* unde datur intelligi, quasdam personas jure naturali, Divino, ac humano ad contrahendum haud esse idoneas. *Individuam* etiam secum fert vitae consuetudinem, nam contractus iste nullis debet esse limitibus circumscriptus, sed ad mortem usque alterius conjugum constanter manens. Matrimonium considerandum est primo ut naturae officium, ac tunc pro fine habet mutuum conjugum amorem, ac filiorum propagationem ; deinde ut civilis contractus est, ac societatis respiciens felicitatem, quo sensu pro regula habet civiles leges; tertio ut *novae legis Sacramentum est*, tum quatenus ordinatur ad Ecclesiae bonum, quo pacto Ecclesiae Regimini subjacet (S. Thomas lib. IV. *contra Gentes* c. 78. et in 4. dist. 3. quaest. uni. art. I. ad 4.). Modo postremo acceptum matrimonium, definitur : *Est novae legis Sacramentum, arctissimo, quod dissolvi nequit, vinculo fideles conjuges uniens, ac gratiam tum ad pie casteque se amandos, tum ad liberos sancte educandos ipsis necessariam conferens.* Matrimonium quid?

Scholion. Aliis etiam nominibus matrimonium ap-

pellari solet. Dicitur *conjugium*, quasi a communi jugo, cui sponte conjuges se submittunt: *connubium*, quo sensu in Æneid. Virgilius: *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo: nuptiae* a velo, quo nubentis virginis caput obvolvebatur: a Graecis vocatur γαμος, *a* γαμέω uxorem duco, nubo. Usu tamen Ecclesiastico ab ipsis, non minus, quam ab Orientalibus vocari solet ςεφανισμος, quod idem est ac *coronae impositio*; viris enim ac foeminis, dum matrimonium contrahunt, coronas imponit Sacerdos. Matrimonium caeterarum societatum fundamentum est; atque inde apparet, quatenus communi bono noxium esset, quum efferatis hominum moribus adversus primaevam Auctoris naturae institutionem Gen. II. venere incerta ferarum more congrediebantur. Hinc legislatores praeclari omnem posuere operam, *concubitu prohibere vago, dare jura maritis*, ut ait Horatius *de arte Poetica*, quod praestitere apud Ægyptios Menes, apud Graecos Cecrops, apud Sinenses Fo-ki.

§. CCCXLIII.

Matrimonium bonum est ac licitum.

Nihil est tam absurdum, quod suos non habeat patronos, ac propugnatores; id sicuti aliis in rebus, ita in matrimonio contingit, quod Haereticorum nonnulli (*) veluti rem impiam ac nefandam convitiis proscindebant, abominabanturque. Sed detestanda horum assertio jure omni proscribitur. Ipsum enim naturae lumen suadet, sexuum discriminis finem nuptias esse, quibus humanum genus conservatur, propagaturque, ac susceptae proles aluntur, custodiuntur, bene recteque instituuntur, nec non ad societatis obeunda munera aptae atque idoneae redduntur. Nonne Deus ipse naturae Auctor, masculum et foeminam creavit, benedixit eis, atque ut crescerent, augerenturque, jussit (Gen. I. 27. 28.)? Christus Dominus praesentia sua cohonestare nuptias voluit, ac ibi aquam immutando in vinum primum omnipotentiae suae signum dedit (Joan. II.), immo ad primaevam nuptiarum institutionem respiciens, ne quod

(*) Nuptias malas esse, ac a tenebrarum Principe institutas ausi sunt affirmare Simon magus, Saturninus, Encratitae, Marcion, Manichaei, et Priscillianistae.

Deus conjunxit, homo separaret, vetuit (Matth. XIX. 6. Confer Paulum I. ad Corinth. VII. 3. et ad Hebr. XIII. 4.). Patres Ecclesiae hac in veritate tradenda omnino conformes esse, prudens nemo in dubium vertet.

§. CCCXLIV.

Est novae legis Sacramentum.

Matrimonium, quod ab ipso mundi exordio instituerat Deus, ut naturae officium (§. praec.), ad Sacramenti dignitatem a Salvatore evectum fuisse catholica fides docet. Et quidem conjugium rei sacrae signum esse tradidit non ambigue Paulus ad Ephesios scribens (V. 32.), eique concinunt singuli Ecclesiae Patres. Porro quod signum sit etiam efficax gratiae, ex eodem Gentium Doctore videtur evinci, et quam maxime ex perpetua traditione. Ac primum Paulus habito jam de officiis conjugum sermone, addit: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et Ecclesia.* Ubi pronomen τȣτο, *hoc*, ad praecedentia verba, fidelium nempe conjugium referri debet, quod Apostolus idem *magnum Sacramentum* vocat, eo quod visibile signum est unionis sacrae, quae Christum inter et Ecclesiam reperitur. Quandoquidem si pronomen *hoc* Christi cum Ecclesia unionem praesignaret, sensus plane absonus exsurgeret, scilicet: *Jesus Christus et Ecclesia sunt magnum Sacramentum, nempe in Christo et Ecclesia.* Unde consequitur matrimonium esse magnum Sacramentum, ob unionem quam designat Christi cum Ecclesia. Jam vero Salvator Ecclesiae suae conjungitur ob humanam non tantum, quam recepit, naturam; verum etiam ob caritatem et gratiam, eam sanctificat, ac semetipsum pro ea dedit, ut exhiberet sibi gloriosam absqua macula et ruga; proindeque matrimonium non tantum secundum corpus fideles conjuges unit, sed etiam gratiam dat, unde naturalis amor perficiatur, indissolubilis unitas confirmetur, ipsosque sanctificet (PP. Trid. sess. 24.). At quum argumentum ex Paulo depromptum nec ipsis catholicis Theologis omnibus videatur invictum, rei hujus veritas traditione constanti firmanda est. Tertullianus (De praescript. c. 40.), de aliis novae legis Sacramentis instituens sermonem, iisdem

matrimonium annumerat, atque etiam (*Lib.* II. *ad uxorem*) ejus conjugii felicitatem celebrat, *quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet.* Ambrosius (*Epist. ad Vigilium* n. 7.) ait, *conjugium velamine sacerdotali, et Benedictione sanctificari oportet.* Innocentius I. (Epist. IX.) ad quemdam respiciens, qui uxore pristina in captivitatem abducta, aliam sibi conjunxerat, ait: *Statuimus fide catholica suffragante istud esse conjugium, quod primitus erat Divina gratia fundatum.* Augustinus (*De bono conjug.* c. 18.) *in Christianorum nuptiis* inquit, *plus valet Sanctitas Sacramenti, quam faecunditas uteri.* Huc pertinent, quae Cyrillus (Epist. ad Nestorium confirmata ab Ephesinis PP. et lib. II. in Joan. c. 22.), Epiphanius (*Haer. Hieracitarum*), aliique asserunt, Christum in Cana Galilaea nuptiis interfuisse, ut illas benediceret ac sanctificaret. Quibus voluerunt ostendere, Salvatorem plus, quam ex primaeva institutione sua haberent, voluisse nuptiis concedere; id autem aliud esse nequit, quam gratia ad mutuum conjugum amorem sancte fovendum, edomandamque concupiscentiam (August. de bono conjug. c. V.). Addimus concilium Lugdunense II., Constantiense, Eugenium IV., Tridentinum.

Scholion. Cudworthus *in dissert.* cui titulum fecit: *Conjunctio Christi cum Ecclesia figura quadam adumbrata*, etsi matrimonium cum caeteris Acatholicis veri Sacramenti rationem habere neget: tamen suos graviter increpat, quod Catholicae doctrinae odio permoti mysticam conjugii significationem, unionis scilicet Christi cum Ecclesia, quam clare Paulus ad Ephesios V. delineavit, imprudentes totam fere sibi ex animo passi sint elabi, nec ulla dignam contemplatione judicent. Addit Paulum decernere alteram harum conjunctionum verum et germanum alterius typum esse; alteram vero alterius exemplum esse et archetypum, ad quod ea unice efformata et expressa sit.

§. CCCXLV.

Magnam vim habet, quod proposuimus argumentum. Jam vero quanto majus videbitur, si omnium nationum Christianarum consensus accedat? Dubium est nullum, ante Lutherum et Calvinum Ecclesiam Latinam in ea fuisse persuasione, quod Matrimonium verum sit Sacramentum. Id etiam fide constanti tenebant Graeci. Nam Simeon Thessalonicensis (*Lib. de init. c.* 33.) inter alia Sacramenta, *quae per spiritum operantur*, matrimonium recenset; nec in Florentino Concilio, quantum ad Sacramentorum numerum dissensus fuit; nec cum Eugenius IV. pro Armenis decretum, in quo haec continebatur veritas, promulgavit, post recessum suum Graeci ii, qui ad pristinum Schisma revoluti sunt, moverunt litem, atque cum Wittembergenses Theologi Lutherani Ecclesiam graecam ad suas partes trahere tentassent, novitatem iis Hieremias Patriarcha exprobravit, matrimonium adnumeravit mysteriis, *quae sub externis sensibilibusque symbolis arcanum et spiritalem effectum continent.* Accedunt Meletius Syrigus (*In refut.* 13. *Artic. Cyrilli Lucar*), Confessio orthodoxa (Quaest. 115.), Gregorius Protosyncellus, omnes Patriarchae ac Episcopi, qui post exortas de perpetuitate fidei circa Eucharistiam cum Calvinistis controversias authentica fidei suae testimonia dedere (Vid. *perp. fidei* tom. 3. lib. 8.). Quantum ad Orientales sive Melchitae sint, Nestoriani, aut Jacobitae, quum eosdem cum Graecis de Matrimonio ritus habeant, eamdem disciplinam, easdem fere leges, exorentque Deum, ut gratiam suam conjugibus elargiatur, eamdem quoque habere fidem manifestum est (Ibi tom. V. lib. VI. c. 1. seq.). Quapropter consuetudo haec tam universalis Apostolicam traditionem spirat, simulque palam facit hallucinatos fuisse nonnullos Scholasticos, qui Graecos hoc carere Sacramento, inepte dixerunt.

Quod etiam ostenditur praescriptione.

Scholion. Heterodoxi, ut traditionis vim elevent, ajunt nec *Scholasticos* ipsos matrimonium ut verum novae legis Sacramentum agnovisse; nam *Magister sententiarum* vult illud esse tantum in remedium,

non gratiam auxiliatricem conferre; *Durandus*, atque cum eo non pauci juris canonici Doctores negant esse Sacramentum. Immo S. Bonaventura, Scotus, S. Thomas solum tamquam ex sententia probabiliore Sacramentum esse affirmant. Verum ut dicam, quod sentio: non paucorum *Scholasticorum* id vitium fuit, ut ex humana potius ratione, quam ex sacris libris ac traditione res gravissimas dimetientes, Catholicae veritati tenebras potius, quam lucem affunderent; immo barbaris vocibus, inanibus speculationibus, futilibusque quaestionibus graves ac sapientes viros a Theologiae studio deterruerint. At haec missa facio: illud ajo, fidem nostram sacris litteris, ac traditione inniti; atque eo ipso tempore, quo Scholastici nonnulli in controversiam vocabant, an Matrimonium sit Sacramentum, Ecclesia in Conciliis, in decretis Romanorum Pontificum, in ritualibus libris hanc doctrinam praedicabat. SS. Bonaventura, et Thomas pro Catholico dogmate stabant; at veritate Scholasticorum tricis paulisper obscurata, haereseos notam privata auctoritate adversariis impingere non audebant. Sed jam ad alia veniamus: matrimonium quatenus Sacramenti dignitatem habet a Christo fuit institutum; de tempore tamen non omnes pari ratione judicant. Nonnulli censent, fuisse institutum, quum Christus dixit *Matth.* XIX. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Verum eo quidem tempore Salvator Polygamiam abrogavit, ac vinculum matrimonii tam arctum esse ex sua institutione ostendit, ut dissolvi nequeat; non tamen conjugium ad Sacramenti dignitatem tunc evexisse apparet. Verosimilior aliorum videtur esse doctrina, qui tenent, id contigisse in Cana Galilaea *Joan.* II.; eo quod Patres recensiti (§. CCCXLIV.) Christum tunc nuptiis benedixisse, easque sanctificasse affirmant. Vid. Berti *Lib.* 37. c. 1.

§. CCCXLVI.

Minister quis?

Hactenus de matrimonii Sacramento; oportet jam, ut de ministro ejusdem videamus. Sunt inter Theologos multi, qui contrahentes ipsos ceu ministros agnoscunt: sunt, qui id muneris solius Sacerdotis esse defendunt. Libratis Patrum ac Conciliorum aucto-

ritatibus, sententia postrema veritati magis consona videtur. Nam Ignatius Martyr (Epist. ad Polycarpum ex Recensione Cotelerii n. V.) inquit: *Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem.* Tertullianus et Ambrosius ex sacerdotali benedictione gratiam in matrimonio repetendam esse judicant (§. CCCXLIV.). Concilium Carthaginense IV. (Can. XIII.) sponsum ac sponsam a Sacerdote benedicendos decernit; atque ob ejusdem benedictionis reverentiam vult, ut nocte prima a nuptiali opere abstineant. Synesius (*Epist. 105. ad Evoptium fratrem*), *mihi*, ait, *Deus ipse, et lex, sacra Theophili manu uxorem dedit:* quem in locum observat Christianus Lupus (*Dissert. de VIII. Syn. cap. V. adversum III. Photii calumniam*), nuptias palam in Ecclesia fuisse semper ab Episcopo, vel presbytero benedictas, et sanctificatas. Eugenius IV. (*In decreto*) Sacramentum tribus perfici docuit: *rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum.* At enim sicuti caeterorum Sacramentorum sacerdos vel primi vel secundi ordinis minister est, ita judicare debemus de matrimonio. Concilium Coloniense, *accedente sacerdotali precatione*, inquit, *dari donum Spiritus sancti, quo vir uxorem diligat amore casto.* Accedunt Synodus Cameracensis, Rhemensis, Turonensis, Aquensis, Avenionensis, Mechlinensis, tum Rituale Romanum vetus collectum per Albertum Castellanum Dominicanum, manuale Atrebatense, Yprense, Mediolanense. Concilium Tridentinum (*Sess.* XXIV. *de reform.*) etiam nobis suffragatur, quum Parocho jubet, ut explorato mutuo viri et mulieris consensu dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo etc.* Quid? quod Graeci ac Orientales ex Sacerdotis benedictione, et precibus gratiam conjugibus conferri existimant; itaque credunt, Sacerdotem esse ministrum, quum ex ejus benedictione ac precibus Sacramentalem gratiam descendere velint: immo Orientales poenitentiae eos subdunt, qui coram Ecclesia matrimonium non celebrant, nec eorum conjunctionem legitimam esse censent (Vid. Renaudotium tom. V. lib. VI. c. 3. et

*

4. continuat. *Bollandi in dissert. de Cophtis mense Junio* §. 224.). His adde, verbum Sacramentale omnino esse necessarium, ut sensibile signum producendi spiritalis effectus virtutem nanciscatur (§. CCXXVI.). Jamvero si duo nutibus, scriptoque mutuum consensum designarent, contractus validus esset, sibique mutuam corporis traderent potestatem, atque Sacramentum non prolata formula perficerent. Quo fit, ut in verbis a contrahentibus prolatis forma hujus Sacramenti, ut adversarii asserunt, constitui nequeat.

Scholion. Nec officit, quod Eugenius IV. asserat: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti:* nam loquitur de causa efficiente matrimonii quantum *ad vinculum*, quod ex nubentium consensu manet perpetuum. Etenim obligatio ac nexus ex consensu, et pactis exoritur. Rem bene exposuit Rituale Toletanum apud Richard *Dict. eccl. art. mariage: Efficiens causa matrimonii sunt ipsi contrahentes, in quantum est contractus quidam. At vero ut est Sacramentum, minister est causa instrumentalis sicut in aliis Sacramentis.* Habent et alia argumenta, qui nobis adversantur Theologi; haec explanata videas a Melchiore Cano *de loc. Theol.* lib. VIII. Du Hamel, Drouvenio, Juvenin, Piette, aliisque. Hoc unum observare liceat adversus eos, qui sententiam hanc nostram erroris insimulare volunt, Benedictum XIV. *de syn.* lib. VIII. C. 13. §. 9. scribere: *Utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus non animo quemquam inducendi ad unam aut alteram amplectendam: Sed ut Episcopis sit persuasum utramque esse probabilem, suosque habere magnae authoritatis patronos, atque inde non decere discant, ut ipsi judicis partes assumant, quaestionemque definiant, de qua Ecclesia nihil hactenus pronunciavit, sed Theologorum disputationi permisit.*

§. CCCXLVII.

Res et verba. Ex ea, quam amplectebamur, de ministro sententia, ad investigandam rem, ac verba hujus Sacramenti, via sternitur. Itaque contractum civilem eum-

que legitimum, *rem*, sive ut Scholastici ajunt, *materiam* constituere arbitror. In eo enim reponendum est conjugii signum sensibile, quod, si accedat verbum, Sacramenti dignitate exornatur, ac efficaciam habet conferendi gratiam. Porro ex verbis a Sacerdote super nubentes prolatis matrimonium, quod contractus civilis erat, Sacramenti naturam induit, producitque gratiam (§. præc.), proindeque in contractu civili hujus Sacramenti *rem* constituamus, oportet. Haec de signo. Nunc pauca de Sacramentali verbo, quod in his, aut similibus secundum cujusque Ecclesiae consuetudinem reponendum censeo: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris etc.* Quandoquidem, quae Sacerdos profert verba, ea matrimonium, uti civilis contractus est, non respiciunt, sed uti Sacramentum, cujus effectum principem exprimunt, coelestem nempe benedictionem, ac gratiam, quam Sacerdos a Deo invocat, simulque ut ejus minister Sacramenti efficacia largitur.

Scholion. Mirum in modum dissentiunt, quantum ad materiam et formam hujus Sacramenti, Theologi, qui contrahentes ipsos hujus Sacramenti ministros esse volunt, quod ipsis uti non leve adversus eorum sententiam indicium opponebat Melchior Canus. Confer De Marca *in operibus posthumis*, Menardum *in Sacr. Gregorii Magni*, Le Moine *sur le sentiment du concile de Trente.*

§. CCCXLVIII.

Age vero jam paucis conjugii unitatem persequamur: haec in eo reponitur, quod una tantum foemina uni viro tribuenda sit; quo fit, ut polygamia huic unitati adversetur; haec vero vel *simultanea* est, quum vir plures simul uxores habet, vel uxor viros; altera est *successiva*, quando nempe priori defuncto conjuge aliae nuptiae contrahuntur. Scelus semper habitum fuit maximum, atque cum ipsa naturali lege pugnans, foeminam unam plures simul habere viros; nam primario matrimonii fini, qui in generatione consistit, id penitus contrarium est; experientia enim docet, mulieres publicarum libidinum victimas, infantibus ut plurimum carere. Deinde, Unitas matrimonii.

quum ita filiorum incertus pater reddatur, fini etiam matrimonii secundario istud repugnat, qui est, ut susceptae proles a communibus genitoribus ali debeant, et educari (*). Quod si de polygamia muliebri sermo sit, contendunt non pauci, eam juri naturali adversari; aliis in sola lege Evangelica, vetitam esse volentibus. Mediam viam caeteri, quibus assentior, ingrediuntur. Judicant illi, finem conjugii principem eam non tollere, quum vir unus ad plures mulieres foetandas sufficiat; repugnare tamen ejusdem secundis finibus, paci nempe et tranquillitati domesticae: et revera inter Saram et Agar, Rachelem et Liam invidia, vel zelotypia enascebatur (**). Nihilominus Deo sic disponente, ut fidelis populus augeretur, polygamia licita fuit. Abraham enim, Jacob, David, aliique probissimi viri plures simul uxores habuerunt (***). Neo hanc ob causam sanctitatis ac justitiae laudem amiserunt, quum, ubi de electis sermo est (Matth. VIII. II.), futurum fore, ut in regno coelorum cum Abraham, et Jacob recumbant, Christus ipse affirmet. Hinc percipere facile est, quanta injuria Calvinus, et Beza Sanctissimos Patriarchas affecerint, quum assererent, eos adversus naturae legem peccasse; quam calunniam a Saducaeis hauserunt, contendentibus Jacobum polygamiae causa ab Angelo fuisse percussum.

(*) Hinc patet quo loco habenda sit Platonis sententia, qui uxorum communitatem inductam cupiebat (§. LXXXVIII. Sch.), confutatus merito ab Aristotele lib. II. *Polit.* Hinc etiam compertum est, quantum erraverit Baelius in *epist. XVII. adversus Maimbourgium*, cujus pravam doctrinam merito carpit Barbeiracius *in not. ad Puffendorffium de jur. nat. et gent. lib. VI. c.* 1. §. 15.

(**) Id agnoverunt vel ipsi gentiles scriptores. Nam Euripides in *Andromaca* v. 464. seq. ajebat:

Numquam geminos
Lectos laudabo mortalium.
Atque binas matres habentes liberos,
Rixam quidem domorum
Tristesque offensas.

(***) Confer Bartolocci *Bibliotheca Rabinica*, Seldeni *uxor Hebraea.* Viette *du mariage des Hebreux.*

§. CCCXLIX.

At vero Christus Dominus ad primaevam institutionem matrimonium revocavit. Quandoquidem ab initio Deus uni viro foeminam unam eum in finem copulavit, ut duo essent in carne una, sibique perpetuo, vel parentibus etiam relictis, adhaererent (Gen. II 24.). Quae quum auditoribus suis Salvator in mentem revocasset, addidit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, maechatur, et qui dimissam duxerit, maechatur* (Matth. XIX. 9.). Paulus autem Apostolus de legis Evangelicae conjugio ita disserit (I. ad Corinth. VII. 2. seq.), ut polygamiam omnino vetitam esse appareat. Quae veritas tam alta mente singulis Ecclesiae Patribus insedit, ut qui polygamiam licitam esse docuerit, invenitur nemo. Unde sapienter Tridentini Patres definiverunt (Sess. XXIV. Can. 2.): *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege Divina esse prohibitum, anathema sit.*

Polygamia in lege nova est vetita.

Scholion. Inde palam fit, quantum Evangelico spiritui contraria sit facultas, quam Lutherus, Melanchthon, Bucerus, Melander Hassiae Principi dederunt, ut infirmitatis obtentu duas simul habere posset uxores. Rei gestae seriem, politicumque Acatholicorum consilium exponit Bossuet *Hist. des var. liv.* VI. Non arbitramur autem fidem promereri Socratem narrantem *hist. eccl. lib.* IV. c. 31. Valentinianum Imperatorem duas simul habuisse conjuges Severam, et Justinam, ac legem per civitates singulas promulgasse, ut id ipsum cuilibet liceret. Nam ille scribit, Justinam Virginem fuisse, quum eam Imperator duxit; Zosimus vero narrat, eam prius Maxentio tyranno nupsisse. Accedit, ex Scriptoribus Ecclesiasticis neminem praeter unum Socratem hujus legis meminisse, nec Ammianum Marcellinum Scriptorem Ethnicum, qui Valentiniani res gestas accurate collegit. Vid. Valesium in hunc Socratis locum, et Baronium ad an. 376. Solet etiam opponi, Gregorium II. permisisse cuidam, ut propter diuturnam conjugis infirmitatem, alteri nuberet. Sed decretum a

doctissimis viris aut dubium, aut plane suppositititum reputatur; nec desunt, qui asserunt, infirmitatem mulieris fuisse impedimentum matrimonii dirimens. Verum si de polygamia *successiva* sermo habeatur, licitam eam esse ex Paulo constat scribente I. ad *Corint. VII. Mulier alligata est legi, quanto tempore ejus vir vivit, quod si dormierit vir ejus, cui vult nubat, tantum in Domino;* tum ex Chrysostomo in hunc Pauli locum, Clemente Alexandrino *lib. 3. strom.* Gregorio Nazianzeno *Orat. 39.* Ambroso *de Viduis cap. 2.* Hieronymo *epist. 27. ad Marcellam*, Augustino *de bono viduitatis cap. XII.* Nihilominus quum secundae nuptiae incontinentiam nonnullam praeseferre quibusdam viderentur, bigami in quibusdam Ecclesiis poenitentiae subditi fuere. Praeterea ii ad sacros ordines promoveri non poterant, uti evincitur ex Apostolo *I. ad Timot. 3.* Tertulliano *lib. I. ad uxorem c. 7.* Epiphanio *haer. 48.*; nec solemnem benedictionem obtinebant. Vide de secundis, tertiis, ac quartis nuptiis Cotelerium *in Constit. Apost.* ac *in librum II. Hermae mand. V.* Nourry *appar. in Athenagoram*, et Clementem Alex. Petavium *in animadv. ad S. Epiphanium*, Huetium *Origen. q. 14.* Chardon. *hist. sacr. tom. II. lib. 3. c. 6.*

§. CCCL.

Matrimonium est indissolubile etiam adulterii causa.

Non uno sub aspectu conjugium, ac ejus dissolutionem contueamur, oportet. Ac primum, matrimonium vel *ratum* est, vel *consummatum*, illud secum fert legitimum cum Ecclesiae benedictione contrahentium consensum; alterum tunc haberi censendum est, quando conjuges facti sunt *una caro.* Dissolutionem etiam conjugii invenimus duplicem; prima, si vinculum ipsum ita dirimatur, ut ad alias nuptias convolare fas sit; postrema, quae etiam impropria dicitur, ea est, qua nexu manente, a conjugalibus officiis, vel contubernio ipso vir et mulier liberantur. Jam vero nec adulterium ipsum causam esse, cur conjugii dirimatur nexus, generalia haec Christi Pharisaeos alloquentis verba demonstrant (Luc. XVI. 18. et Marci X. 11. 12.): *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, maechatur.* Eandem

Salvatoris doctrinam proposuit Paulus (I. ad Corinth. VII. 10. 11.): *Iis*, ait, *qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Quae serio perpendens Augustinus (*De adult. conjug.* lib. I.), asseruit: *Non fornicatione, sed morte sola alterius conjugis vinculum solvi*. Hanc eamdem doctrinam tradiderunt Hermas (Lib. II. mand. 4.), Clemens Alexandrinus (Lib. II. Strom.), Chrysostomus (Hom. XVII. *in Matth.*), Nazianzenus (Carm. II.), Hieronymus (Epist. 30. *ad Oceanum*, *et in Comment.* ad cap. 19. Matth.), Innocentius (Epist. *ad Exuperium*), ac Milevitana II. synodus, cui magnus Augustinus intererat. *Placuit*, ajunt Patres, *ut secundum Evangelicam et Apostolicam doctrinam; neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibi reconcilientur, quod si contemserint, ad poenitentiam redigantur.*

Scholion. **Mens fuit Lutheri, pluribus de causis matrimonium, quantum ad vinculum, posse dissolvi: nempe adulterii causa, ob molestam cohabitationem, injustam conjugis desertionem, atque si unus ex conjugibus alterum ad peccatum provocet. Melanchthon *in locis Theol.* id permittit tantum ob fornicationem, et malitiosam desertionem, quam sententiam etiam tenet Buddaeus *instit. Theol. dogm.* lib. V. cap. IV. §. 32. Calvinus solam adulterii causam videtur admittere, detonatque in Ecclesiam id jure meritoque vetantem. Erasmus *in paraph. ad cap.* V. et XIX. *Matth.* in eam declinaverat opinionem, ut adulterio conjugii nexum solvi diceret; at cum ann. 1526. Facultas Parisiensis nonnullas ejus propositiones damnasset, Apologiam edidit, in qua de dissolutione quantum ad cohabitationem et thorum dumtaxat loquutum fuisse ait. Cajetanus, Catharinus, Launojus nec ex Scripturis, nec traditione confici posse affirmant, matrimonium per fornicationem haud dissolvi. Verum quis eumdem Launojum ferat, ad ostendendum, repudiatis ob fornicationem uxoribus, fas esse novum inire connubium, adducere**

Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Innocentium I., Gregorium Magnum, Bedam, aliosque, qui doctrinam nostram muniunt, confirmantque? Nihilominus re nondum discussa Patres aliquos nobis adversari verosimilius videtur, quemadmodum fuere Basilius, Asterius Amasenus, forte etiam Lactantius, Concilium Veneticum, ac Compendiense. Graecos in consuetudine habere adulterii causa ad novas nuptias convolare ex Goario *in Euch.* innotescit, atque ex *sessione XXV.* Concilii Florentini, ubi a Graecis petitum fuit, *cur conjugia dirimerent.* Quorum usum, etsi cum veritate haud consistere arbitror, tamen non censeo a Patribus Tridentinis fuisse damnatum: cum enim ii efformasset Canonem, secundum quem diris eos devovebant, qui asserunt matrimonium per adulterium posse dissolvi, intercedentibus Venetis Oratoribus pro Graecis dominationi Reipublicae subditis, Canonem ita attemperarunt, ut adversus heterodoxos erroris incusantes Ecclesiam Romanam, quae judicat ob adulterium solvi matrimonium non posse, latum esse appareat. Confer Pallavicinum *lib. hist.* 22. c. 19. Sarpi *hist. Conc. Trid. lib. VIII.* §. 39. Renaudotium *tom. V. lib. VI. c.* 7. Arcudium in concor. Benedictum XIV. *de Syn. lib. 13. c.* 22. §. 4.

§. CCCLI.

Difficultas solvitur. Quid? Clamant Acatholici, quid asserunt Pontificii, adulterii causa matrimonii vinculum haud dirimi? quum Salvator ipse hanc cuilibet facultatem verbis non ambiguis concesserit. Petentibus enim Pharisaeis, an uxorem quacumque ex causa dimittere liceret, respondet ipse (Matth. XIX. 9.): *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, maechatur.* Haec vero de ipso conjugii dissoluto vinculo intelligenda esse inde patet luculentissime, quod aliis etiam de causis quantum ad cohabitationem ac thorum matrimonium solvere licitum est; tum eo, quod Pharisaei de ipsa dimissione, quantum ad matrimonii nexum, Christum Dominum interrogaverant. Audivimus: at ne subirascantur nobis, si ab iis quaeramus: eccur si Salvator solam fornicationis causam excepit, ipsi vel ob molestam cohabitationem, vel ob malitiosam conjugis de-

sertionem matrimonii nexum prorsus dirimi posse judicant? Age vero videamus, qualis in Christi Domini verbis sensus lateat. Arbitror orationem totam esse eclipticam, ac ita explanandam: quicumque dimiserit uxorem suam, quod divortio perpetuo non licet, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, sive fornicata fuerit mulier, vel non, moechatur. Quod ut percipiatur facilius, est observandum: Hebraeos quacumque etiam ex levi causa consuesse tum dimittere uxores, tum aliis nubere, atque repudiatas ad alteras nuptias convolare. Utramque pravam consuetudinem corrigit Christus, conjugium ad primaevam revocat institutionem, secundum quam una caro sunt maritus et uxor, mandatque, ut quod conjunxit Deus, homo non separet, unde ne quis vivente priore conjuge, ducat alteram, severe prohibet; quantum ad uxorem perpetuo dimittendam attinet, id in sola fornicationis causa locum habere jubet. Ea ratione, qua si Ecclesia perspiciens fideles duplici detineri vitio blasphemandi, violandique jejunium, ita decerneret: *Quicumque diebus statutis haud jejunaverit, nisi ob infirmitatem, ac blasphemus fuerit, anathema sit;* res haud esset ambigua, verba haec *nisi ob infirmitatem*, solam primam propositionis partem afficere; nulla vero ratione alteram. His adde secundum Hermeneutices regulas, quod obscurum est, per clariora Scripturarum testimonia esse exponendum. Jam vero, quum Marcus, Lucas, Paulus eamdem, quam adducit Matthaeus, Salvatoris sententiam proferentes dicant, nulla exceptione facta, quemcumque ex conjugibus, qui prima vivente adhuc conjuge ad alias nuptias convolat, moechari, concludimus merito, verba, quae apud Matthaeum occurrunt, *nisi ob fornicationem*, de dissolutione quantum ad cohabitationem et thorum, non de ipso nexu ac vinculo matrimonii esse accipienda. Nec multum urget, quod aliae etiam subsint causae praeter fornicationem conjuges separandi; nam divortium perpetuum sola fornicationis causa inducere potest, atque hoc unicum permisit Pharisaeis, etsi ii dissolutionem quantum ad vinculum intenderent, nam hanc, sublata, quam Moyses dederat, repudii aliarumque uxorum ducendarum facultate, omnino denegavit, atque id audi-

tores percepisse est affirmandum; quum dixerint: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere* (Ib. v. 10.).

Scholion. Plures afferri solent Imperatorum ac Regum leges, quibus matrimonium quantum ad vinculum dissolvi sinebatur; multa hujusmodi exempla congerit Scriptor operis *les conferences de Paris*, qui de rebus ad matrimonium pertinentibus copiose disserit. Verum reponere sat sit cum Chrysostomo in *cap. 7. epist. ad Rom.* quod non secundum has leges judicaturus est Christus, sed juxta eas, quas ipse posuit. Vid. etiam Hieronymum *epist. 30.* et Augustinum *hom. 46. inter 50.* Confer Nourry in Hermam, Petavium *animad. in S. Epiphanium*, Thomam Campegium *de indissolubilitate matrimonii.* Haec nos duxerunt ad quaestionem illam, an matrimonium in infidelitate contractum per professionem Religionis Christianae alterutrius ex conjugibus quantum ad vinculum dissolvatur: id existimat proculdubio Theologorum et Canonistarum pars maxima; at referre paucis animus est, quid occasione Judaei nomine *Levi* ad Catholicam Religionem conversi in Galliis contigerit. Hic, quum Judaeam uxorem ut se converteret, ac cum ipso cohabitaret, rogasset, eaque renuisset, alias nuptias cum Anna Thevard contrahere cupiebat: repulsam passus a suo Parocho nec non Suessionensi *Officiali* ad supremam Parisiensem curiam, quam Parlamentum vocant, appellavit: causa pluribus diebus agitata fuit, tandem referente Seguerio Generali advocato pristinum matrimonium in robore suo permanere fuit judicatum. Quae ad hanc causam attinent duobus voluminibus in 12. impressa sunt cum titulo: *Recueil important sur la question de savoir: si un Juif marié dans sa Religion peut se remarier après son baptême lorsque la femme Juife refuse de le suivre, et habiter avec lui:* traducti etiam eadem occasione fuere in Gallicum duo Augustini libri ad Pollentium cum notis, ac dissertatione. Jam vero ad alia: matrimonium ratum et non consummatum per solemnem Religiosam Professionem dissolvi definiverunt PP. Tridentini Sess. XXIV. Can. VI. Hinc Ecclesia solet duorum mensium spatium concedere, ut quis seligere

possit Religiosum statum, antequam ad conjugii usum alteruter conjux teneatur. Hujus traditionis seriem quis videat in libro: *Tradition ou histoire de l' Eglise sur le sacrament du mariage, tirèe des monumens les plus authentiques de chaque siecle tant de l' Orient, que de l' Occident:* addantur Estius, Drouvenius, aliique Theologi. Caeteris autem, quae generatim proferri solent pro matrimonii rati dissolutione rationibus, addi fortasse hoc posset, partes nempe contrahentes, si non expressam, tacitam saltem contractui conditionem ab Ecclesia approbatam adponere, quod iis liberum sit ante conjugii usum ad claustrum commeare. Ecclesiam insuper potestatem habere impedimenta matrimonium dirimentia constituendi decreverunt PP. Tridentini Sess. laudata, *Can. 3. et 4.* At hac de re plura tum in jure Canonico, tum in Theologia morali audient Theologi.

§. CCCLII.

Magnam habent utilitatem fideles, qui secundum Christi institutionem, purgatoque a vitiorum labe animo conjugium ineunt. Ii enim non tantum sanctificantem recipiunt gratiam, unde adepta jam antea justitia augescit, verum etiam ad divina auxilia, quibus ad pie sancteque vivendum in matrimonio indigent, jus accipiunt: haec Sacramentalis vocatur gratia, quam praeter sanctificantem Sacramenta quaelibet in ordine ad proprium finem conferunt. Quamobrem Sacramentum hoc virtutem donat, ne conjuges immoderato ac effraeni concupiscentiae impetu permoveri se sinant, carnis tribulationem, de qua Paulus (I. ad Corinth. VII. 28.), levius perferant, immunditiem fugiant, fidemque sibi datam mutuo servent. Efficit non minus, ut conjuges filios habere intendant, quos ab originis peccato per baptismi Sacramentum solutos velint, ac Christianae societatis cives, nec non eos pie sancteque educent. Unde Augustinus (lib. I. *de nupt. et concup.* c. 17.), ajebat: *In nuptiis bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum, sed proles non ut nascatur tantum, verum etiam ut renascatur.* Tribuit iis quoque, ut, quae matrimonium comitantur, aerumnas, atque nuptiale jugum constanti animo perferant, pa-

Effectus Matrimonii.

cem et tranquillitatem servent; efficitque, ut se mutuo diligant, sicut Christus Ecclesiam.

Scholion. Quamobrem animarum pastores admonere debent sponsos, ut corde puro et mundo, non libidinis, sed filiorum procreandorum causa ad matrimonium accedant, si coelestes gratias ac benedictiones diffundi super se ament. Reminiscantur Sacramentum hoc symbolum esse nnionis Christi cum Ecclesia; sed neque dent oblivioni haud esse violandam peccatis gratiam, quam in Sacramento recipiunt; atque ob hunc defectum saepe contingere, quod conjugati eos non consequantur effectus, ad quos Divina Providentia et largitas matrimonium ordinavit.

CAPUT VIII.

De Sacramentis in genere.

§. CCCLIII.

Septem tantum sunt novae legis Sacrata.

Septem esse novae legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora, ex iis, quae copiose disputavimus, manifesta illatione consequitur. Nam quum Sacramenta res sint subjectae sensibus, quae ex divina institutione sanctitatis significandae ac efficiendae virtutem obtinent (§. CCXXVI.), atque sacrorum librorum auctoritate, Patrum traditione ac universali Ecclesiae consensione veritas munita ac roborata sit, id convenire Baptismo (§. CCXXVII.), Confirmationi (§. CCXLV.), Eucharistiae (§. CCLVI. seq.), Poenitentiae (§. CCXCI.), Ordini (§. CCCXXII. seq.), Extremae unctioni (§. CCCXXXIII), Matrimonio (§. CCCXLIV.), apparet, perperam agere Acatholicos, qui solum Baptisma et Eucharistiam novae legis Sacramentis accensent. Jam vero quum signum sensibile aliud invenire possis nullum, quod ex divina institutione sanctificantem gratiam elargiendi virtutem habeat, consequitur, ut sicut non pauciora quam septem; ita nec plura quoque admitti possint veri nominis Sacramenta. Moveat autem neminem, pedum lotionem a Christo fuisse institutam; nam ad constituendum Sacramentum sola divina in-

stitutio non sufficit, sed oportet, ut res sensibus subjecta certis consecrata verbis, gratiam producendi efficaciam nanciscatur; quae postrema conditio in pedum lotione non occurrit. Neque hujus probant necessitatem Salvatoris verba: *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (Joan. XIII. 8.); nam singillatim haec Petro dicta sunt, qui recusata prius humilitatis causa ablutione pedum, atque Salvatori rem urgenti quum respondisset: *Non lavabis mihi pedes in aeternum;* ab eodem audiit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum:* quasi dixisset Christus: si mandatis meis non acquieveris, scias te haud habiturum partem vel in mensa Eucharistica, vel in regno coelorum; quapropter hujus ablutionis pro omnibus necessitas inde minime demonstratur. Quare Ecclesia Apostolorum magisterio edocta, et verborum Christi optima interpres, pedum lotioni Sacramentalem gratiam annexam fuisse nunquam existimavit: atque Augustinus (Epist. LV. *ad Jan.* c. 18.) fidem facit, quod, ne cui ad Baptismi Sacramentum pertinere videretur: *Multi hoc in consuetudine recipere noluerunt, nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitarunt.*

Scholion. Ad evitanda, quae in nos vibrare solent Acatholici, tela ex silentio Patrum vetustissimorum de numero Sacramentorum septenario, haec observanda sunt: I. Non pauca illorum opera temporum injuria interiisse; quosdam Patres nec Baptismi, nec Eucharistiae meminisse, quae tamen vera Sacramenta esse admittunt heterodoxi; tum satis fuisse, ut de Sacramentorum numero oretenus fideles instruerent; id vero praestitisse inde colligitur, quod nationes omnes in fide septem Sacramentorum inveniantur concordes. II. *Disciplinam arcani* obstitisse, ne de singulis sermonem instituerent. Porro quum haec non urgeret, ubi publicum Ecclesiae bonum ejusque defensio id exigebat, factum est, ut de baptismo ac Eucharistia saepius sermonem haberent: nam cum superstitiosos ritus ac Thyestaeas epulas Gentiles Catholicis objicerent; hinc de baptismo interdum loquebantur Patres, ac perperam a Gentibus reprehendi ostendebant, quoniam et ipsi ablutiones suas habe-

bant; modum etiam conficiendi Eucharistiam nonnumquam describunt, quo calumniam alteram, nempe infantis carnibus Christianos vesci, retunderent; de aliis vero, quoniam dicendi occasio non erat, ne mysteria profanis hominibus panderent, prudenter siluerunt. III. Ii, qui in aqua et sangnine e Christi latere profluentibus novae legis Sacramenta praefigurata dicunt, ac baptismum et Eucharistiam commemorant, de iis sermonem habent, quae nobiliora sunt, ac praecipua, caeteris non exclusis, quorum ipsimet aliis in locis meminerunt; tum quia baptismum et Eucharistia majorem habent cum aqua et sanguine analogiam. IV. His duobus interdum confirmationem addunt; eo quod Catechumeni de iis Sacramentis erant edocendi; nam baptismo primnm initiabantur, tum confirmationem accipiebant, ac Eucharistiam. Vid. quae scripsi lib. I. de Sacr. c. VIII.

§. CCCLIV.

Sunt omnia Divinae institutionis.

Veteris legis Sacramenta, umbra ac figura rerum, quae in lege nova evenire debebant (§. I.) a Deo ipso instituta fuisse, in dubium revocari nequit. Quis itaque sapiens in animum inducat suum, ut credat, novae legis Sacramenta nobiliora veteribus, humanae esse institutionis? Ac sane, si qui tanta fuissent potestate exornati, ii procul dubio Apostoli fuissent, quorum nulla major in Ecclesia adinvenitur auctoritas; at ii se *ministros* tantum nuncupant, et *dispensatores mysteriorum Dei* (I. ad Corinth. IV. 1.). Sed quid ego plura commemoro? Baptismum et Eucharistiam Divinae esse institutionis libenter dant nobis Acatholici. Poenitentiam instituit Christus, quum remittendi retinendique peccata Ecclesiae dedit potestatem (§. CCXCIII.), Ordinem in epulo postremo (§. CCCXXI.), Confirmationem, ac Unctionem extremam, eo tempore quum post resurrectionem suam loquebatur Apostolis de regno Dei (§. CCXLIV. et §. CCCXXXIII. Sch.), Matrimonium vero, quando praesentia sua in Cana Galilaea nuptias cohonestavit, sanctificavitque (§. CCCXLV.). Quamobrem septem novae legis Sacramenta Divinam habere institutionem, in explorato est.

Scholion. Praeclare PP. Tridentini Sess. VII. Can. I. ajunt: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Christo Domino nostro instituta, anathema sit;* quibus Acatholicorum profligarunt errorem, autumantium, Baptismum tantum, ac Eucharistiam divinam habere institutionem. Ex proposita doctrina patet, Christum institutorem esse Sacramentorum *immediatum*. Verum an id fidei nostrae dogma sit, non unum est Theologorum judicium. Bellarminus, Becanus, Du-Hamelius, rem definitam esse asserunt; sed Estius, Berti, aliique plures autumant Tridentinos Patres noluisse quidpiam decernere adversus nonnullos veteres Scholae magistros, qui extremam unctionem a Christo haud fuisse institutam asserebant. Quibus eo lubentius subscribo, quod Jodocus Ravenstein, et Ruardus Tapperus, qui Concilio interfuerunt, nullam hac de re datam fuisse definitivam sententiam asserunt.

§. CCCLV.

Gratiam conferunt ex opere operato.

Jam vero explicemus nunc, quae novae legis Sacramentis efficacia adsit ac virtus: hanc ut Tridentini Patres ajunt, habent *ex opere operato* (Sess. VII. cant. 8). Verum ne in nomine ambiguitas lateat, quid Catholici intelligant, exponendum est. Judicant, etsi in adultis fides, timor, spes, amor Dei ut justitiae fontis, odium ac detestatio peccati praerequirantur, gratiam tamen non ex suscipientis, aut ministrantis Sacramentum merito, vel ex fide Divinarum promissionum obtineri; sed virtute actionis Sacramentalis, sive ob signum sensibile verbis institutionis a legitimo ministro consecratum, applicatumque subjecto. Unde vi institutionis, et per Christi merita fit, ut Deus veluti causa princeps per Sacramenta, quae instrumentales causae sunt, gratiam elargiatur. Hinc etsi libenter do, voces illas *ex opere operato* venerandam antiquitatem non sapere: rem tamen ipsam sub iis contentam vocibus Sacris litteris ac traditioni prorsus consentaneam esse, nullus ambigat. Enimvero per Baptismum peccatorum remissionem consequimur, renovamur, ac regni coelestis haeredes constituimur (§. CCXLII.), Confirmatione accipimus Spiritum sanctum (§. CCLIII.), Euchari-

stia nobis confert vitam aeternam (§. CCLVIII.), remissionem peccatorum, quae post baptismum commisimus, Poenitentia tribuit (§. CCXCIV. seq.), Ordo, Extrema unctio, fidelium Conjugium sanctificantem gratiam elargiuntur (§.CCCXXXI. CCCXLI. CCCLII.). Quibus in locis de fide Divinarum promissionum, cujus virtute admiranda haec Dei beneficia consequimur alte silent sacri libri. At rem in luce perquam clara collocat parvulorum exemplum, qui ad fidem Divinarum promissionum in se excitandam minime idonei, nihilominus peccati originalis remissionem acquirunt, ac fiunt regni coelestis haeredes. Nec ad ministrorum fidem adversarii confugiant; quum baptisma a Judaeo etiam vel gentili administratum virtutem obtineat suam (§. CCXXXVIII.). Eamdem veritatem Patrum sententiis confirmare perfacile esset; at quoniam longior esse hac in re nolo, sufficiat laudasse Hieronymum (*Epist. ad Occanum*), Cyrillum Alexandrinum (Lib. II. *in Joan.*), S. Leonem (Serm. III. *de Nat. Domini*). Augustinum tamen audiamus (Lib. 4. *contra Cresconium.* c. 16. n. 19.) : *Non eorum meritis, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.*

Scholion. Controversia est Thomistas inter et Scotistas, quonam modo Sacramenta veluti instrumentales causae gratiam producant; Thomistae *physice*, Scotistae *moraliter* id evenire contendunt. Ægidius Cardinalis Columna Augustiniani instituti mediam viam ingreditur. Duplicem ipse causam instrumentalem physicam distinguit *directam*, *et indirectam* : illa est, quae virtute accepta a causa principe attingit effectum uti penicillus imaginem : altera vero effectum non attingit, sed actione propria aliquid ponit, cui virtute supernaturali, si res supernaturalis est, effectus conjungitur. Quo pacto Christi verba sanabant infirmitates : ac in naturae ordine instrumenta agricolae causa sunt segetis. Unde Sacramenta causas instrumentales indirectas Ægidius agnoscit. Quam sententiam illustravit Cl. Berti lib. 30. c. 20.; at satis sit de

re, unde resonabant aliquando, et fervebant Scholarum atria, nullo sane rei christianae, ut puto, compendio.

Heterodoxi hanc Sacramentorum efficaciam, unanimi consensu, rejiciunt. Judicant tamen Wallemburgici tom. II. tract. 1. *in comp. controv. particul.* cap. 21. le Fevre *additions aux motifs invincibles* §. 4. aliique nobiles Theologi totam, quae nos inter, ac adversarios lis fervet, esse de nomine; eo quod illorum non pauci ita non raro se explicant, ut vix a communi Catholicorum doctrina discrepare videantur: tum quod ii perperam arbitrentur, nos Sacramentis virtutem quamdam naturalem elargiendi gratiam tribuere; vel ea principes gratiae causas statuere; aut bonas in suscipientibus adultis dispositiones eliminare, a quibus catholica Ecclesia prorsus abhorret. Nihilominus, etsi nil magis exopto, quam Acatholicos sentire nobiscum; atque Deum O. M. oro, ut virtute sua Omnipotenti, Christianos omnes unius esse mentis, unius cordis, unius labii efficiat, tamen si ad ipsorum principia attendo, eos sanam doctrinam tenere, non censeo. Putant enim Lutherani, et Calvinistae ad fidem in hominibus excitandam, augendam, confirmandam Sacramenta esse instituta, unde consequitur, eos fidei totum, Sacramentis parum tribuere, ac efficaciam ab illis auferre. Vid. Buddaeum *instit. Theol. dogm.* lib. 1. c. 1. p. 699. atque Turretinum loc. 19. q. 8. Nec adversariorum patrocinatur sententiae, quod in sacris litteris fidei nonnumquam justificatio nostra tribuatur; vel quod Marci ult. 16. legatur: *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Etenim salus nostra timori etiam attribuitur. *Eccl. I.* 27. Eleemosynae *Tob. IV.* 11. caritati *I. Petri IV.* 8. immo *Paulus I. ad Corinth. XIII.* 2. cum omni fide, si haec non sit conjuncta caritati, nos nihil esse, testatur, atque non ex fide tantum homines justificari Jacobus asserit II. 14. Quamobrem ideo fidei Sacrae litterae nonnumquam justificationem tribuunt, quoniam haec in adultis prima est, ac necessaria ad habendam justitiam dispositio; non enim quis per Christi merita, ac instituta ab ipso Sacramenta sanctitatem consequi poterit, si in ipsum minime credat.

Quamquam Heterodoxi fidei nomine non eum intelligunt mentis assensum, quo revelatis a Deo articulis credimus, sed Divinarum promissionum fidem, unde se gratiam sanctificantem adipisci autumant. Apud Marcum fides, ac baptisma praecipiuntur; illa, quod primum ordine mandatum sit, ac dispositio ad salutem necessaria; alterum, quoniam renovat, regenerat, peccata abluit, sanctitatem, ac justitiam largitur (§. CCXLII.). Quid? Quod Marcus non de fiducia ab adversariis jactata, sed de fide, qua in Christum, ac revelata ab ipso mysteria credimus, sermonem instituit? Unde quocumque se vertant, eos veritati haud litare, manifestum est.

§. CCCLVI.

Cujus efficaciae non erant Veteris legis Sacramenta.

At quantum sacri libri inter utriusque foederis Sacramenta statuunt discrimen? Quae Christum auctorem habent, renovant, dant spiritum sanctum, peccata remittunt, ac conferunt vitam aeternam (§. praec.). Verum lex vetus, cujus pars nobilissima erant Sacramenta, umbram tantum habebat futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum (*Ad Heb.* X. 2.), *infirmis* constabat, *et egenis elementis* (*Ad Gal. IV.* 9.), *ad perfectum adducere* poterat neminem, atque *propter ejus infirmitatem, et inutilitatem* fuit abrogata (*ad Hebr.* VII. 28. 29.), tandem hircorum, ac taurorum, qui immolabantur, sanguine impossibile erat auferri peccata (Ib. X. 4.). Quapropter eandem efficaciam, ac energiam in utriusque legis Sacramentis quaerat nemo, qui nolit hallucinari. Majores nostri eamdem veritatem agnoverunt, et praedicarunt. Basilius (*Libro de Spiritu S. c.* XIV.) tantam esse judicat inter utriusque legis Sacramenta dissimilitudinem, quanta inter somnia, et veritatem; inter umbras, imaginesque, ac inter ea, quae revera subsistunt. Concinunt Hieronymus (*In Isaiam* explanans haec verba: *Lavamini, mundi estote*), Chrysostomus (*Orat. de bapt. Christi*), Augustinus (*In Ps.* LXXIII. *ac tract. XLI. in Joan.* n. 6.). Nihilominus, si veteris legis Sacramenta, non prout in seipsis erant, animo contuearis, sed quatenus conjuncta erant fidei in venturum Reparatorem, et ob pietatem, ac cari-

tatem ministrantis, vel suscipientis, gratiam conferre poterant, ac peccatorum remissionem. Paulus enim ad Romanos scribebat (*Ad Rom.* III. 30.): *Unus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide, ac praeputium per fidem*, inquiebatque Augustinus (Lib. II. *de nupt. et concup.*): *Eadem fides mediatoris salvos justos faciebat pusillos cum magnis.*

Scholion. Lutherani, ac Calvinistae pravo inhaerentes principio, Sacramenta veteris, ac novi foederis ad Divinarum promissionum fidem excitandam, cujus virtute Divina apprehendamus beneficia, fuisse instituta, utraque aequalia faciunt, eandemque energiam, ac virtutem attribuunt. Differentiam tamen nonnullam statuunt. Turretinus enim *loc.* 19. *quaest.* 9. differre scribit I. *Signis, ac ritibus externis*. II. *Numero*, eo, quod vetera plura fuerant, nova pauciora, ac praestantiora. III. *Utendi facilitate*, quemadmodum ex circumcisionis cum baptismo collatione innotescit. IV. *Modo significationis*, quoniam illa venturum praesignabant Liberatorem, alia eumdem advenisse declarant. V. *Amplitudine objecti*, nam vetusta pro Abrahae progenie, nova pro populis omnibus sunt instituta. VI. *Duratione*: prima enim usque ad Christum, alia ad mundi finem perdurabunt. VII. *Efficaciae mensura et gradu*, quam majorem esse dicit in novae legis sacramentis, non quidem collatione, ac efficientia rei significatae, sed in ejus certiori obsignatione. Majorem hanc gratiae mensuram rejicit Lutherus veteris legis Sacramenta novis prorsus exaequans; agnovit tamen Chemnitius *Ex. Conc. Trid.* par. 2. *de diff. Sacr. vet. et novae legis* p. 25. Buddaeus duo statuens veteris legis Sacramenta, circumcisionem, et agnum paschalem, tum a Turretino, tum a Magistro suo Luthero recedit, qui *de capt. Babyl.* p. 75. inter Sacramenta recenset signum Iridis a Deo datum Noe, roris signum in Gedeonis vellere, tum signum in solis retrogradatione exhibitum Regi Ezechiae. Ceterum etsi Theologorum communis sententia sit, Sacramenta veteris legis ex *opere* tantum *operantis*, nempe ex fide, ac pietate sive ministrantis, sive suscipientis gratiam elargita fuisse: nihilominus si heterodoxi veram attribuerent Sacramentis novae

legis efficaciam, ac parem esse dicerent Sacramentorum veteris legis, non esset existimandum, eos in fide aberrare, ut tenent Estius, Habert, l'Herminier, Tournely, aliique: quum Tridentini Patres tantum definiverint Sess. VII. *Can.* 2. utrinsque foederis Sacramenta plus, quam ritu externo differre.

§. CCCLVII.

Difficultates nonnullae.

Sed ajunt adversarii: utriusque foederis Sacramenta parem habere virtutem, inde colligitur, quod nomina invicem permutent, et sicuti Circumcisio, et Pascha nobis tribuitur (*ad Corint.* V. 7. *et ad Colos.* II. 11.); ita Baptisma et Eucharistia veteribus (I. *ad Corint.* X. 2. seq.), quae permutatio, inquit Turretinus, haud locum haberet, nisi inter ipsa adiuveniretur essentialis identitas: hanc cum non inveniamus in signis, in effectu ipso quaerenda est; tum quemadmodum novi testamenti Sacramenta meritis sanguinis Christi innituntur, ita et vetera: virtus autem sanguinis Christi, antequam funderetur, eadem, ac nunc est, semper fuit.

§. CCCLVIII.

Solvuntur.

At haec parum ponderis habent. Ea enim est sacrarum litterarum consuetudo, ut inter typum, et antitypum, nomina permutentur. David, quoniam Christi Domini figura fuit, Christus vocatur, vicissim Christus Davidis nomine a Jeremia nuncupabatur. Jam vero, quum figuram inter, ac rei veritatem dissimilitudo intercedat maxima, atque Apostolus, ubi Eucharistiam, ac baptismum veteribus secundum Acatholicos attribuebat, etiam dicat: *haec autem in figura facta sunt nostri*: *haec autem omnia in figuris contingebant illis*: palam fit, ex nominum permutatione *essentialem identitatem* quantum ad effectum evinci minime posse. Neque adversariis prodest, quod idem gentium Doctor asserat: *et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt; bibebant autem de spiritali consequente eos petra*: *petra autem erat Christus.* Nam si Apostolum de omnibus Israelitis intelligamus, ii eandem escam, et potum inter se, non autem nobiscum, habuere communem. Quae spiritualia nuncu-

pata fuere, eo quod spiritualem, ac mysticam significationem habebant, tum quia virtute Divina erant ipsis donata. Petram autem Christi nomine, quoniam ipsum praefigurabat, decoratam novimus. Caeterum tantum abest, ut manna, et aqua e petra fluens Eucharistiae in virtute exaequari debeant, ut oppositum plane Salvator ipse doceat. Christi sanguinem antequam funderetur, eandem, ac quum fusus fuit, efficaciam habuisse, non imus inficias: tamen quia Sacramentorum virtus a Dei instituentis voluntate dependet; atque de Sacramentis veteris legis fidem faciunt sacri libri, egena fuisse, ac infirma elementa (§. CCCLVI.); nostra autem peccata remittere, gratiam elargiri, conferre vitam aeternam (§. CCCLV.), parem utrisque energiam collatam uisse asserere nequimus.

§. CCCLIX.

Quae eorum characterem imprimant.

Praeter principem Sacramentorum novae legis effectum, qui in virtute, et energia sanctificantem gratiam elargiendi consistit, producunt eorum non omnia quidem, sed quaedam tamen, effectum adhuc alium, scilicet *characterem*. Hunc si generatim perpendas: *est spiritale quoddam signum a caeteris distinctum animae indelebiliter impressum* (Eugenius IV. *in Armenorum instruct.*). Duplicem autem virtutem habet; ac primo: spiritalem potestatem in iis, quae cultus Divini sunt, confert: potestas haec alia dici solet *passiva*, altera *activa*. Illam in baptismo adipiscimur, unde ad alia Sacramenta recipienda apti, idoneique reddimur. Alteram vero in Ordine, et Confirmatione acquirimus. Nam Ordo ad Sacramenta aliis administranda facultatem confert: Confirmatio autem ita nos roborat, firmatque, ut adversus Christiani nominis hostes fidem intrepide profiteri valeamus. Postremo character spiritale signum, quod deleri nequit, in anima nostra imprimit, unde perpetuo ab iis discernimur, qui eodem non fuerunt decorati. At enim spiritalem hanc potestatem, notam, ac tesseram, qua animus noster insignitur, in tribus tantum Sacramentis accipi, perpetua Ecclesiae consensio edocet, in baptismo nempe (§. CCXLIII.), confirmatione (§. CCLIV.), Ordine (§. CCCXXXI.). Hinc

est, quod perspecta diligenter traditione definiverunt merito Tridentini Patres (Sess. VII. Can. 9.): *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum spiritale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Scholion. Non est dissimulandum, non paucos Scholasticos ex Philosophiae placitis de characteris natura, ac existentia disserentes, veritatem hanc obscurasse potius quam illustrasse. Nos ab inanibus illis subtilitatibus abhorrentes, solum asserimus: potuisse Deum in anima nostra characterem imprimere, quemadmodum etiam fide, spe, charitate animam nostram exornat; ac, quod revera laudata Sacramenta recipientibus eundem imprimat, Verbum Dei traditum nos edocere, ac certum Ecclesiae Magisterium.

§. CCCLX.

Heterodoxorum cavillationes.

Magnopere offendit Acatholicorum animos hic character, eumque insani commenti loco habent. Hinc ajunt: I. Efficacia Sacramentorum omnis ab institutione est repetenda; at haec complectitur tantum signum externum, ac rem significatam, ad quorum neutrum character pertinet: non ad primum; nam signum Sacramentale externum est, et sensibile; character vero invisibilis, et animae: nec ad alterum, nam res significata est gratia, ad quam pertinere non potest character, qui cum indelebilis sit, manet etiam in reprobis, et damnatis. II. Characteris utilitas est nulla, nam quidquid ipsi tribuitur, vel attinet ad gratiam sanctificantem, cujus est munus, nos reddere aptos ad cultum Dei, vel ad ipsum signum externum, quod a reliquis non suscipientibus Sacramentum nos discernit; haec porro Sacramentis omnibus aeque conveniunt. Quid, quod character iste in impiis etiam manens configurare Christo nos minime potest, nisi velimus impios Salvatori esse conformes? III. Catholici in circulum eunt. Nam dicunt, tria Sacramenta characterem imprimere, quia iterari nequeunt, et si porro ab iis quaeratur, cur nequeant iterari, ajunt, quia imprimunt characterem. IV. Augustinus ipse characterem, qualem Catholici

confingunt, non agnovit, inquit enim (*Serm. ad Caesariensis Ecclesiae plebem.*): *Donatus non baptizavit in nomine Domini. Nam si Donatus quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret: ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem. . . . ego attendo fidem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; hic est character Imperatoris mei.* Nihil hic de signo invisibili, et indelebili in anima impresso.

§. CCCLXI.

Verum nihil in his ad labefactandam doctrinam catholicam virium inest. Nam quamvis Sacramentum, si generatim consideres, sensibile signum sit, quod gratiae non solum significandae, sed etiam efficiendae energiam habet; nihilominus certum est, Sacramenta quaedam, Deo ita jubente, effectum aliquem constanter permanentem in anima nostra producere, quem Ecclesiae magisterio edocti, *characterem* nuncupamus. Ignorare profecto nequeunt adversarii, Ecclesiam adversus Donatistas sanxisse, validum esse. censendum baptisma ab haereticis, et Schismaticis collatum etiam iis, qui eorum adhaerent erroribus: eo quod baptismi sanctitas, ac fluens inde consecratio perpetuo manet. Porro, quum exernum haud permaneat signum, nec haeretici santificantem gratiam percipere valeant, quid, quaeso, in ipsis perpetuo mansit, nisi baptismi indelebile signum, quod inhaerenti in nummo imagini Principis, merito comparat Augustinus (*Lib.* II. *contra Epist. Parmenian. n.* 28.)? Porro, quod Turretinus addit, sanctificantem gratiam id habere muneris, quod nos ad cultum Divinum idoneos reddat, ac Christo configuret; fateor esse verum, si cultum Divinum in ordine ad aeternam vitam consequendam perpendamus; at modo adhuc alio ad cultum Divinum ordinari possumus, ut scilicet ad aliquid ulterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis apti reddamur; id vero est, quod in nobis character praestat (§. CCCLIX.). Modo haud dissimili Christo configurari possumus, vel sanctam, incontaminatamque vitam ducendo, quod est gratiae sanctificantis; vel participando ex sacerdotio Christi

Enodantur

potestatem quandam respectu Sacramentorum, nec non eorum, quae ad cultum Divinum pertinent secundum rationem praesentis Ecclesiae, quod proprium est characteris muuus. Jam vero, etsi eo tempore, quo quis Sacramentum recipit, a ceteris, qui non suscipiunt, secernatur; tamen quum tria commemorata Sacramenta effectum in nobis perpetuum habeant, notam aliquam in animo figunt, unde constanter ab aliis discriminamur. Fieri quidem nequit, ut impii in sanctitate, ac justitia Christo conformes sint, nihilominus, eo quod ex ejus sacerdotio spiritalem potestatem participant, modo aliquo eidem possunt configurari, quemadmodum desertor Imperatori suo aliqua ratione configuratur, dum ejusdem imaginem retinet. In circulum autem nos turpiter ire tam falsum est, quam quod maxime. Vitio enim hocce tunc laboramus, quando ex causa causam, ex effectu probamus effectum; secus vero, quum causam ex effectu, effectum ex causa demonstramus. Quapropter, cum characterem a tribus laudatis Sacramentis infigi dicimus, eo quod non iterantur, tunc ex effectu causam demonstramus: e contra asserentibus nobis Sacramenta haec non iterari, quoniam characterem tribuunt, ex causa tunc effectum probamus. Sed animadvertas oportet, nos ideo affirmare Sacramenta, de quibus sermonem habemus, characterem imprimere, ac iterari non posse, quia utrumque nos edocet Ecclesiae traditio. Augustinum, quod nobis opponant, mirum profecto est: ipse enim sexcentis in locis fidem facit, baptismum ac ordinem, de quibus praesertim disserit, iterari non posse, quia permanentem animae nostrae consecrationem tribuunt. Quapropter S. Pater objecta in auctoritate, hypothesim quam possibilem non judicavit, proponit, nempe quod si Donatus in nomine suo baptizaret, ac infigeret characterem, fictitiam hanc tesseram nihil faceret, ac aboleret; atque in nomine imperatoris sui Christi iis, qui ad unitatem redeunt, baptisma conferret. Verum judicavit ne Augustinus Donatum potuisse in nomine suo baptizare, ac figere characterem? Nequaquam: itaque neque in hypothesi possibili loquutum fuisse est affirmandum. Porro, quum baptismi formam nuncupat characterem, eum non in se ipso, sed in causa, a qua producitur,

consideravit. Nam verba formae sonum habent materialem, ac celeriter transeuntem, characterem verò in anima esse, ac perpetuo manere saepissime tradit.

Scholion. Turretinus *loc.* 19. q. 10. adhuc asserit in ipso Tridentino concilio non paucos characterem in dubium vocasse, quoniam nec *Lombardus*, nec *Gratianus* ejus meminerint, atque *Scotus* asserat, nec Scripturae, nec Patrum verbis necessario esse admittendum. Verum etsi daremus, quosdam fuisse, qui characterem in dubium verterent, infirmae, fractaeque eorum rationes esse debuerunt, quum Tridentini Patres re diligenter librata, in tribus Sacramentis eumdem imprimi definiverint. Magister sententiarum in 4. *dist.* 7. inquit, baptismum, confirmationem, et ordinem iterari non posse, quia consecrationem quandam secundum Augustini doctrinam conferunt. Quae autem perpetua haec consecratio esse potest, nisi character? Immo *dist.* 24. haec habet: *Character ergo spiritalis, ubi fit promotio potestatis, ordo vocatur.* Gratianus de *consecr. dist.* 24. *c.* 41. in baptismo characterem infigi agnovit. Quidam Scholastici affirmantes characterem nec ex Scriptura, nec ex traditione demonstrari posse, de ejusdem disputabant natura, non existentia. Scotus per determinationem Ecclesiae eum se agnoscere profitetur. Verum si Scholastici nonnulli errassent, nihil ad nos, qui fidei dogmata non ex eorumdem placitis, sed ex Ecclesiae traditione dimetimur.

§. CCCLXII.

Falluntur, atque in dogmate errant, quotquot Christianos omnes Sacramenta quaelibet conficiendi potestatem habere judicant, quamvis ad ordinem servandum eos tantum administros esse velint, qui ab Ecclesia vocati sunt; cujus nomine intelligunt coetum quemlibet ex singulis maxime Patribus familias conflatum, etsi per excommunicationem ab aliorum consortio sit segregatus. Etenim Apostolus ait (Ad Hebr. V. 4.): *Nec quisquam sibi sumit hunc honorem* (Sacerdotii) *sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Ignorat autem nemo, Aaronem ante vocationem, et consecrationem suam Sacerdotii Levi-

Quis eorundem legitimus minister?

tici nec usum habuisse, nec potestatem; unde consequitur, legis etiam novae temporibus obtinere neminem posse aut usum, vel potestatem verbi, ac Sacramentorum, qui a Deo vocatus non sit, ac legitima ordinatione consecratus. Hûc pertinet, quod Ecclesia ex Christi institutione duabus constabat partibus, fidelis nempe populi, ac Apostolorum, et LXXII. discipulorum, quos ad publicum ministerium delegerat (§. CXIV.): Apostolis successere Episcopi: aliis presbyteri secundi ordinis (§§. CXI. CXV.). Illis itaque publicum ministerium ita adhaeret, ut Christiani caeteri ejusdem non habeant potestatem. Quid plura? Baptismi, Eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis, matrimonii minister Sacerdos est (§. CCXXXVII. CCLXIX. CCCXVIII. CCCXXXIX. CCCXLVI.); Confirmationis autem, et Ordinis Episcopus est (§. CCLI. CCCXXIX.). Itaque non Christianus quilibet, sed sacerdotes primi ac secundi ordinis ministri sunt Sacramentorum.

Scholion. Anabaptistae potestatem, et usum Sacramentorum omnibus attribuebant; Lutherus autem *de abrog. Missae* verbi ministerium, et Sacerdotium Christianis omnibus largitur; sed ad evitandam confusionem potestatis usum iis solis coucedit, qui consensum communitatis habent, vel vocationem majoris. Quapropter perperam Chemnitius *exam. Conc. Trid.* part. 2. p. 48. conqueritur, Tridentinos Patres, ut invisam redderent depravasse, ac mutilasse Lutheri doctrinam: immo libratum apparet fuisse eorumdem decretum: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Haud prodest adversariis, Petrum epist. I. c. V. 5. de Christianis omnibus scripsisse: *et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis Sacerdotium sanctum, offerre spiritales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Sacerdotii enim nomen late patet, atque non solam innuit potestatem verbi, et Sacramentorum legitima ordinatione acquisitam, de qua tantum sermonem instituimus; verum etiam in ampliori accipitur significatione, quatenus Christiani omnes laudis precumque hostias supremo

Numini offerunt, quo postremo sensu loquutus est Apostolorum princeps; qui et laudata verba depromsisse videtur *Exod. XIX.* ubi de omnibus Israelitis dicitur. *Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, et gens sancta.* Et vero, si de Sacerdotio legali sermo sit, solam tribum Levi ad hunc honorem assumptam fuisse, diffitebitur nemo. Nec in Doctore gentium invenire praesidium possunt; quum enim ad *Gal. III.* 18. inquit: *Omnes in Christo Jesu unum sunt*, de fidei loquitur unitate, cujus virtute constituimur omnes ejusdem capitis membra, scilicet Christi. At omnes in potestate Christianos pares esse, tantum abest, ut asserat, quin etiam diserte eat inficias. Nam *I. ad Corinth. XII.* 29. ait: *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes?*

§. CCCLXIII.

Ejusdem fides, et probitas ad Sacramenti valorem non requiritur.

At vero, etsi in Sacramentorum ministro optanda vel maxime sit fides morumque sanctitas; tamen, si ille in sui perniciem Sacramenta conficere praesumat, validum censendum est, dummodo Christi institutionem servet, collatum ab eo Sacramentum. Cujus rei inde petenda est ratio, quod Christus Dominus suorum Sacramentorum minister sit Princeps; unde etiam virtutem nanciscuntur omnem, quemadmodum Praecursor Domini nos edocet, ajens (Joan. I. 33.): *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto;* tum quod Salvator in iis, quae ad aliorum commodum, et utilitatem inserviunt, fidem, ac ministri probitatem, ne quis in homine debeat confidere, haud necessariam ad rei ipsius valorem esse jusserit. Ita Caiphas, vir licet malus, prophetavit (Joan. II. 51.), ac multi improbi prolato sanctissimo Jesu nomine miracula patrabant (Matth. VII. 22.): ministerium autem Sacramentorum in aliorum cedere commodum, res patet per se. Catholicam veritatem hanc clarius adhuc Ecclesiae traditio demonstrat, cui constanter inhaerens Romanus Pontifex Stephanus inquiebat: *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur in poenitentiam.* Quam traditionem ab Apostolis repetendam esse, merito scribebat Augustinus (Lib. II. *de*

bapt. c. VII. n. 12.) (*). Multa non minus concilia, Ecclesiae fidem in aperto posuerunt, Arelatense (An. 314.), Nicaenum OEcumenicum (c. VIII.), Laodicaenum (c. VII.), Capuanum (c. XLVIII.), Constantinopolitanum oecumenicum (c. VII.). Plura in rem nostram egregia invictus Donatistarum debellator Augustinus profert. Quam praeclara autem sunt, quae adversus Gaudentium habet (Lib. II. cap. X. n. 11.)! *Nec vobis*, inquit, *blandiamini*, *quod baptisma non rescindimus vestrum. Non est hoc vestrum*, *sed Catholicae Ecclesiae*, *quam tenemus*, *unde illud*, *quando discessistis*, *non quidem ad salutem*, *sed in perniciem vestram vobiscum tulistis. Nam vasa Dominica etiam apud alienigenas sancta permanserunt. Unde Rex*, *qui eis contumeliose uti ausus est*, *Deo irascente punitus est*, *et arca testamenti ab hostibus capta*, *nequaquam virtutem suae sanctificationis amisit. . . . quanto magis eam Christiana Sacramenta non perdunt*, *quando ita*, *ut apud nos etiam manent*, *ad haereticos transeunt*? Quod argumentum eludere Donatistae tentarunt, solvere, ut ipse Augustinus ait, non potuerunt. Quamobrem si ab haereticis administrata Sacramenta valida sunt, quanto magis id affirmandum est de malis hominibus, qui tamen ab Ecclesiae sinu minime divulsi sunt (Confer Augustinum epist. *contra Donat.* c. XXI. n. 58.)?

§. CCCLXIV.

Necessaria in ipso est intentio.

Postulat hic locus, ut nonnulla de intentione conferendi Sacramentum dicam, quam in ministro necessariam esse fidei dogma est, a Tridentinis Patribus definitum: *Si quis dixerit*, ajunt, *in ministris*, *dum Sacramenta conficiunt*, *non requiri intentionem*,

(*) Vim hujus Traditionis minime labefactat, quod Afri Episcopi Cypriano duce huic sese opposuere, uti enim ex Cypriano ipso ostendit Augustinus *lib. II. de bapt. c. VII.* ante Agrippinum, qui tempore exiguo Cyprianum ipsum praecedebat, traditio haec in Africa ipsa vigebat, atque a quibuscumque haereticis, si Christi servarent institutionem, validum reputabant collatum baptisma. Donatistis Sacramentum ab improbis ministris administratum irritum arbitrantibus, adhaeserunt Apostolici, Waldenses, Albigenses, Joannes Huss, Wicleffus, et Anabaptistae.

saltem faciendi, *quod facit Ecclesia*, *anathema sit.* Quod decretum promulgatum praecipue adversus Lutherum, qui Sacramenta joco, ac mimice collata putabat valida (*De captiv. Babyl.* pag. 75.), paucis defendendum suscipimus. Ac primum : Salvator ligandi, et solvendi, remittendi, ac retinendi peccata potestatem Apostolis, eorumque successoribus conferens, eos animarum constituit judices (CCXCIV. Sch.), ipsi non minus se vocant ministros, ac dispensatores mysteriorum Dei (I. ad Corinth. IV. 1.): at vero sicut ministro, quae Principis sui sunt, joco ac irrisorie agenti, judici per subsannationem sententiam dicenti nemo crederet, nec, quae ab ipsis gesta fuere, censerentur esse valida, ita etiam irritum existimandum est mimice administratum Sacramentum. Ex his etiam merito colliges Christum Dominum jussisse ministris suis more humano, ut operarentur. Actio autem humana censenda non est, quae mimice, nec ex serio voluntatis proposito enascitur. His adde. Ecclesiam reputasse semper invalidam Sacramentorum administrationem, quae intentione careret. Cornelius Romanus Pontifex (Apud Eusebium *hist. Eccl.* lib. VI. c. 43.), irritam declarabat Novatiani ordinationem, eo quod Episcopos crapula oppressos Episcopatum sibi per vim tradere coegerit. Firmilianus ab energumena muliere collatum baptisma invalidum judicavit (Epist. *inter Cyprianicas* LXXV.); atque in Romana synodo existimata est nullius roboris facta a Joanne XII. cujusdam Diaconi in stabulo ordinatio. Quamobrem ad Sacramentum constituendum necessaria est in ministro intentio.

Scholion. Adversus PP. Tridentinorum sanctionem debacchantur immerito Calvinus in *antid. Conc. Trid.* Turretinus *loc. 19. q. 7.* §. 2. atque ex Lutheranis Chemnitius *exa. Conc. Trid.* p. I. p. 49. Buddaeus *instit. Theol. dogm.* lib. IV. c. I. §. 16. Attamen advertas velim, Turretinum, ac Chemnitium existimasse, definitum fuisse, necessariam esse intentionem finis sive effectus Sacramentorum. Qua in re misere hallucinati sunt, quum Ecclesia Calvinistarum approbet baptisma, qui nec peccatorum remissionem, nec characterem intendunt conferre. Fatendum tamen

Acatholicos plures tenere, ridiculum lusum, ac mimicam subsannationem irritum reddere Sacramentum. Hinc est, quod le Fevre *additions aux motifs invincibles* §. V. hosce in dogmate haud errare contendit, sed eam tenere, quam Catharinus, aliique graves Theologi sententiam propugnaverunt; cujus perbrevem dare notionem haud erit inutile. Putat Catharinus, quod si minister sciat, ritum, quem facit, haberi in Christi Ecclesia ut sacrum, atque libere ac serio materiam a Christo institutam in usum assumat, ac verborum pronuntiet formam iis in circumstantiis, quae eumdem uti Ecclesiae ministrum se gerere ostendunt, tunc Sacramentum habendum sit validum, quamvis improbus ille, ac sacrilegus in mente sua diceret secreto, se ritum illum non habere, ut Sacramentalem. Nam, inquit, velle fecere quod facit Ecclesia, nil aliud secum fert, quam se gerere ut Ecclesiae ministrum serio applicando formam signo sensibili. Intentio haec ministri conferentis tali pacto Sacramentum dici solet *externa* habita ratione *objecti*, quia respicit ritum externum serio administrandum, non tamen ratione *principii*, quod ipsa voluntas est, qua etiam vere vult externum ritum celebrare. Plura de his dixi lib. I. de *Sacr.* cap. XVI. ubi etiam proposita sunt, et soluta, quae adversus doctrinam de *Sacramentis in genere* proponere solent Acatholici.

§. CCCLXV.

Partes Sacramenti, quando materiae, et formae nomine fuerint nuncupatae.

Sacramenta quaelibet, ex signo sensibili, ac verbis coalescere, nullus est, qui ignoret. Vetusti Doctores cum de partibus Sacramentum componentibus instituebant sermonem, *res* et *verba*, *elementum*, ac *verbum* appellare solebant. At cum Philosophia Aristotelica in scholis regnare coepit, Theologi Sacramenti rem *materiam*, verba *formam* nuncupandam esse voluerunt. Id vero ob analogiam, quam cum materia, et forma physica corporum, Sacramentorum partes habent. Nam quemadmodum in quolibet composito physico forma materiam perficit, atque ad *esse singulare* determinat; ita *forma*, sive institutionis verba, *materiam* sive sensibile signum rem Sacram constituit. Unde Eugenius IV. (*In Armenorum instructione*) ajebat: *Haec omnia Sacramenta*

tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum. Hinc etiam percipies *materiae* nomen in Sacramentis *physice*, ut ajunt, non semper, ut aqua in baptismo, panis in Eucharistia, accipiendnm esse, sed sensu nonnumquam accommodatitio, eo quod materiam in Sacramentis id omne dicere solemus, quod sensibus subjectnm est, cui si accedant verba, fit Sacramentum; hujusmodi sunt manus impositio, poenitentis actus, nec non mutuus contractus in matrimonio.

Scholion. Sacramenti partes *materiam*, *et formam* Gnilielmus Altisiodorensis vocabulis toti antiquitati ignotis appellavit primus ad annum 1215. Nam similem dicendi modum haud invenies in *Magistro sententiarum*, *Lanfranco*, *Guitmodo*, *Anselmo*, *Hugone a S. Victore*. Immo teste Arcudio *lib.* 4. *Conc.* c. 3. Graeci, quid sibi vellent hi termini *materia*, *et forma*, penitus ignorabant. Nihilominus, quia *Scholasticis* visa sunt ad explanandam naturam Sacramentorum opportuna, civitate donata sunt, atque ex Graecis ipsis posterioris aetatis assumpserunt in usum Hieremias Patriarcha in *resp. ad Lutheranos*, et Gabriel Philadelphiensis *de Sacramentis*.

Finis Tomi Tertii.

INDEX

PARS SEPTIMA.

SECTIO I.

De Gratia Christi.

SECTIO II.

De Sacramentis.

FINIS.